


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 0
37
NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
6 K
17
ROMA
U 506


12
13
L
17

IACOBI CARANTAE
CVNEATIS DOCTORIS
Philosophi, & Medici

DECADVM MEDICOPHYSICARVM

LIBER PRIMVS
DE NATVRA AVRI
ARTE FACTI,
& num sit Pharmacum cordiale.

Rerum varietate, nec passim obuiorum, obiter, vel omninò prætermissorum explicatione Philosophis, & Medicis gratum, & necessarium opus.

AD SERENISS. PRINCIPEM
SVBALPINORVM.





Sauiliani, Apud Christophorum Strabellam. 1623.

Superiorum permissu.

VICTORIO AMEDEO

SERENISSIMO PRINCIPI SVBALPINORVM.

Iacobus Caranta fœlicitatem P.

INVICTISSIMO Principi Physicomedicas disputationes & iurgia, litesq; grauissimas: Doctrinarum patrono eximio litterariæ artis partus, licèt amplitudini tuæ impares, non tamen omninò fortè cõtemnendos: Pacis amatori flagrantissimo otij sobolē honestissimi sacro. Hic primus studiorum meorum fructus in lucem profertur, quem tibi Principi nostrum omnium, & Imperij huius moderatori primario deuoueo. Nonnè humanis vicibus spectatis Princeps sibi subiectorum pri-

mus ſcopus eſſe debet? Primũ itaq; opus ingenij mei non potui tibi non dedicare, vt licèt meis omnibus neruis ſim in perpetuum tibi famulaturus, hic tamen liber potiſſimum tuum nomen in fronte præſeferat, & peculiariter indicet, cuius ſeruitio, honori, ac gloriæ ſeruiant quęcunq; poſſum. Illud ſanè abſonum, ac proportione carens: ampliſſima voluntas: libellus exiguus Sereniſſimo Principi dedicatus. Sed quia numina voluntate potius humili, ac demiſſa capiuntur, quàm, quibus non egent, muneribus: effuſa fretus voluntate cum pauperrimo dono, & licèt tenuiſſimis primitijs ad regium Principem accedere non ſum veritus, regium illud effatum Regis Longimani mecum reputans, non minus eſſe Regis exigua hilari vultu accipere, quàm magna liberaliter elargiri. Ergò incredibili animi tui facilitate munuſculũ leuidẽſe ab ampliſſima volũtate profectũm, PRINCEPS INVICTISSIME, læta fronte admit-

tas,

tas, & quod tibi omninò consecrandum erat, accipias benignissimè, vt animum maiora tentantem ad altiora excites. Vale, Nestoreosq; vt tibi annos triumphandos arridentia concedant astra, precor. Cunei Kalendis Ianuarij 1623.



DI

STEFANO CALANDRO

Dottor di Filosofia, & Medicina

ALL' AVTORE.

SAGGIO Scrittor, in cui natura, & arte
Mirabil sì, per arte di natura,
S'accoglie, che trà l'arte, e la natura
Inuidia pende di natura, e d'arte.

De la natura la mirabil arte,
E de l'arte sì arguto la natura
Spieghi, ch'hor par ch'à l'arte la natura
La facci, ed hor à la natura l'arte.

Talche qual vinca, ò l'arte, ò la natura,
O vinta resti, ò la natura, ò l'arte,
Sol sà chi l'arte intende, e la natura.

Tù CARANTA, che di natura, e d'arte
Padre, e Ministro sè trà arte, e natura
Tregua poni con tua natura, & arte.



SONETTO

DEL SIGNOR CLAVDIO MASSIMILIANO Varrone Dottor di Leggi.

AL LETTORE.

SI come trà metalli è primo l'oro,
Così, Lettor, è questo tra scrittori,
Ch'hor dà del suo saper saggio à Dottori,
Da quello cominciando il suo lauoro.

Al grido, è stil dell'opra alto, e sonoro,
S'alza l'Inuidia, è tenta i primi honori,
Qual rabbioso Can morder d'errori,
Ma a questo poi l'Autor dona ristoro.

Esce'l libro tessuto à diece, à diece
Capi, è questioni, oue si tratta l'arte
Di cose natural metter ad vso

Di Medicina, e con gran studio fece
L'Autor l'ordine, e l'opra, e ten da parte,
Accetta l'acciò 'l fin non resti chiuso.

BERNARDINI BOLLERI
CIVIS CVNEATIS.

De viribus auri Chemici à Iacobo Caranta explicatis.

EPIGRAMMA.

VERA labore pio Medici, quæsistis alexi-
pharmaca cardiacis: num reperistis ea?
Nil miseris aurum solitum potabile prodest;
Prodesse ijs Chimicum, docte Caranta probas.
Auctor adest miri medicaminis alter Apollo:
Hic nouitatis opes indicat inter aquas.
Inter aquas patrios habuit nascendo penates;
Inter aquas medicas transtulit ipse lares.
Communes vires medicarum vt nouit aquarum,
Sic proprijs idem viribus auxit eas.
His chimicus Lymphis præscriptum temperet aurum:
Vnica cardiacos hæc medicina iuuat.
Hic sophiæ lapidem formari posse probatur;
O Medici, hinc ægris tuta medela datur.




AVRE-

AVRELII MAXIMILIANI VARRONIS I. V. D.

Ad Auctorem, alludendo ad opidum ex quo fuit oriundus.

EPIGRAMMA.

DVM nobis præstas quicquid medicabile, claras,
Docte Caranta, tuas efficis INTER AQVAS.
Sed dum quousq; doces, quæ pellant pharmaca morbos,
Vita tuum, vt munus sit diuturna facis.
Qui magis (est verum fas dixisse) haud fuit alter,
Labra Hippocrenes merserit INTER AQVAS.



HONORATI VIANI

I. V. D.

In librum de morsu Canis rabidi Iacobi Carantæ.

CARMEN.

DVM tu, doctè, tuis refers libellis
Insanam rabiem, trucesq; vultus,
Et vitanda canis furentis ora:
Humana stupet, heu, vis, ò Caranta,
Qui dulci eloquio graues recessus
Depromens animo, medendo sanas
Tam crudam saniem. O ter, bi, quaterq;
Fœlices Cunei, suauiari
Queis oculis viri diserti
Aspectus, nitido loquentis ore.
Nec falsò cecinit Catus Poeta,
Cum forma ingenium simul tributum:
Sed nunc, lurida quid vis hæc futura?
Deponat rabiem, vel iam malignos
Exesosq; fame, & cruore dentes
Contundat: pereunt feræ venena
Tanto digna sui, viro docente.

BERNARDINI BOLLERI

CIVIS CVNEATIS.

ANAGRAMMA.

IACOBVS CARANTA.
COVS ABARA CANIT.

AD rabidi Catuli morsum vos mille medelis,
O docti Medici, quæritis artis opem.
Per medias tenebras morsos inuisitis ægros:
Dicite, num vestrum sanat alysson eos?
Cernitis hydrophobos vano periisse timore:
Vnde salus esset cur fugiuntur aquæ?
Ecce nouus Cous, nouus huc accurrit Apollo,
Qui hydrophobos omnes liberat arte noua.
Inuentum Medicina sacra desumit ab arce:
Enthea ab æde sacra voce Caranta canit.
Qui formidat aquas adsit: nam COVS AB ARA,
Et CANIT, & Medicos pharmaca sacra docet.
Hydrophobos cogens vanum pepulisse timorem,
Artis opes augens fit nouus artis honos.



EIVSDEM AVCTORIS

IDEM ANAGRAMMA
in alium ſenſum.

DOcte CARANTA nouus Cous mortalibus aram
Inſtruis: hinc morbis certa medela venit.
Fatidico Medico eſt morborum cognita cauſa:
Paucis quæſitis cuncta futura vides.
Decubitus horas ſolitus ſpectare, ſalutis
Ac obitus certum ponere ſchema ſoles.
Et ſubito, & lento potis es ſuccurrere morbo:
Ad vitam reuocas, quos Libitina vocat.
Præcipitate moras, Medici: eſt occaſio præceps:
Currite, vos morbi vis peracuta trahit.
Diuerſa eſt Coi ratio: nam COVS AB ARA
Et CANIT, & tripodis præſtat in æde vicem.
Vt canit ex ara Hippocrates quid conferat ægris:
Sic paucos animi gratia adire ſolet.




STE-

STEPHANI CALANDRI
Philosophiæ, & Medicinæ Doctoris.

IN OPVS D. IACOBI CARANTAE
AD LECTOREM.


QVI solers studio niteris abdita
Naturæ assiduo noscere munera.
Qui tendis Medicùm solicitè libris
Priscùm firma diù quærere dogmata.
Qui vitæ cupis omni numero fida
Stipatæ sanitate incolumis leues
Annos tradere lætus senio. Studens
Quis quis peruigil optas tibi firmius
Astrùm cardine, puro ære perennius,
Almum vertice Phœbi superis sacro
Mirè conditum opus seruarier: legas
Quod CARANTA parit GERMEN Apollinis.



SYLLABVS
AVCTORVM
Qui his in libris citantur.

Cronemburgius.	*Iacobus Vueckerus.*
Dioscorides.	*Ianus Lacinius.*
Dodonaeus.	*Ioannes Lygur.*
Empedocles.	*Ioannes Andraeas I.V.D.*
Esdras.	*Ioannes Baptista Porta.*
Euclides.	*Ioannes Franciscus Mirandulanus.*
Fabianus de monte Sancti Seuerini.	*Ioannes Michael Sauonarola.*
Fabius Columna.	*Ioannes de Platea.*
Fallopius.	*Ioannes Matthaeus de Grado.*
Fernelius.	*Iob.*
Fracastorius.	*Iosephus Quercetanus.*
Franciscus Toletus.	*Iulius Caesar Scaliger.*
Franciscus Valleriola.	*Iulius Camillus.*
Franciscus Vallesius.	*Iulianus Palmarius Constantinus.*
Galenus.	*Iulius Pollux.*
Gastonus Claueus.	*Isidorus.*
Geber.	*Larissaeus.*
Georgius Agricola.	*Laurentius Scholzius.*
Gerardus Dorneus.	*Leo Baptista.*
Gigil.	*Leonicenus.*
Guainerius.	*Leuinus Lemnius.*
Guido Papa.	*Ludouicus Romanus.*
Hermes.	*Ludouicus Viues.*
Herodotus.	*Marcellus Donatus.*
Hieronymus Cardanus.	*Marsilius Ficinus.*
Hieronymus Capiuaccius.	*Martinus del Rio.*
Hieronymus Mercurialis.	*Matthiolus.*
Hieronymus de Zanetinis.	*Mizaldus.*
Hipparchus.	*Mutianus.*
Hippocrates.	*Nicander Colophonius.*
Hyerocles.	

Nicephorius.
Nicolaus.
Odomarus.
Oldradus.
Oribasius.
Ouidius.
Palladius.
Panormitanus.
Paulus Aegineta.
Pausanias.
Petrus Aponensis.
Petrus Gregorius Tholosanus.
Petrus Forestus.
Philander.
Philippus Vlstadius.
Plato.
Plutarchus.
Plinius.
Porphyrius.
Psellus.
Ptolomaeus.
Pythagoras.
Raymundus Lullus.
Rhasis.
Richardus Anglicus.
Richardus Theologus.
Robertus Vallensis.
Ruffus.
Seneca.
Serapio.
Suessanus.
Sybilla.
Theob. de Hoghelande.
Theon Alexandrinus.
Theodorus Priscianus.
Theophrastus Philosophus.
Theophrastus Paracelsus.
Theomnestus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Garzonius.
Thomas Arfoncinus.
Thyanaeus.
Valescus de Tharanta.
Vincentius Burgundus.



SVM-

SVMMA
TOTIVS OPERIS
DE AVRO ARTE FACTO.

SEct.1.pag.1. explicantur variæ differentiæ medicamentorum cordialium, tum proponuntur opiniones concedentium, vel negantium imperfectorum metallorum in aurum generatio. pag. 5. probatur aurum naturaliter gigni melius, & deterius.

Sect.2. p.10. ostendit metalla non differre specie. Diuidit mineralia. Species affert metallorum.

Sect. 3. p. 15. vitam vegetatiuam metallorum probat. p. 18. olei ferri parandi rationem docet, & naturalis miraculi rationem affert. p. 22. lapidibus vitam concedit.

Sect.4.p.27. probat omnia bruta animalia per artem, & ex putri gigni posse. p.32. quorundam opinio proponitur, qui per artem extra fœminæ vterum hominem fieri posse volunt. Vterus fœmininus merum seminis virilis receptiuum ostenditur. p. 34. auium, & basilisci artificialis generatio docetur; tum examinatur quæstio, num viuentia habeant determinatum vterum suæ generationis, & concluditur pars negatiua. Vitiatis seminis effectus afferuntur. p. 40. de Tritonibus, Syrenibus, Nereidibus, Satyris, & Hippocentauris agitur, num sint rationalia animalia. p.42. qualis sit necessitas seminis virilis, & fœminei in generatione explicatur. p. 44. semen fœminarũ non esse verum semen docetur. p.49. hæc artificialis homi-

nis generatio omninò reffellitur tanquam Philosophiæ, & Christianæ Religioni incongrua.

Sect. 5. p. 51. docet aurum verum per artem fieri posse primò auctoritatibus, tum rationibus. Ex his vna est p. 61. de frustulis nauium putridis, & fructibus arborum in anates conuersis ex citatis ibi Auctoribus: quamquam scio aliqs aliam sententiam tueri circa hoc experimentum, inter quos est Fabius Columna in historia Piscium, vbi de Conchis Anatiferis agit.

Sect. 6. p. 68. probat aurum fuisse sæpius factum permultis historiis.

Sect. 7. p. 72. hoc aurum fuisse legitimum demonstrat allatis definitionibus omnium metallorum, auri proprietatibus; auri, argentiq; examinibus catilli cinerei, cæmenti regalis, & aquæ partitionis, ostendendo hæc omnia per artem communicari posse metallis imperfectis.

Sect. 8. p. 79. soluit rationes contra Chemicam, & Chemicos adductas sectione prima. p. 80. Chemiam callentes verè reperiri tradit: p. 87. stultas multorum operationes affert, & errores illarum ostendit. p. 92. Chemiæ praxim fugiendam docet: p. 97. metalli proprietates essentiales, & accidentales attingit.

Sect. 9. p. 99. aurum factitium cordiale esse probat, aurum verò monetarum ob venenatam qualitatem medicamentis cordialibus non esse miscendum tradit; quale aurum ad hoc adhibendum docet, & virtutes auri medicas cum earum ratione describit.

Sect. 10. p. 105. lapidem Philosophorum, & aurum potabile magis esse cordialia, quàm aurum vulgare docet. Lapidem definit: virtutes medicas illius affert, & docet illo curari catarrhum, vrinæ suppressionem, phtisim, calculum, quomodo contra pestem valeat, &

mor-

morbos hæreditarios prosequitur. p.112. modum illius exhibendi, & dosin definit. p.113.115. auri potabilis describit parandi modum. Tum docet aurum factitium posse vendi æquali pretio, ac naturale; & cur apud Principes veri Chemici non inueniantur, denique quibus medicamentis in praxi vtendum concludit.

SVMMA
LIBRI SECVNDI
De morsu Canis rabidi.

P*Ag. 127. in proemio Canis ostenditur optimus, & pessimus; tum historia demorsi à Cane rabido describitur.*

Cap.1.p.132. docet canes rabie tentari, & esse calidos, ac siccos. p.136. docet alia animalia à Cane rabire contra Galenum; qui explicatur multis modis. p. 140. venena omnia, ac proinde rabiem in nobis gigni posse ex internis principijs ostenduntur. p.147. qui canes sint ad rabiem faciliores explicat.

Cap.2.p.148. Rabies definitur. p.149. causæ rabiei enumerantur. p.151. præseruatio canum à rabie docetur: canes rabidi curantur. p.154. canum beneuolentia remedijs conciliatur: canes rabidi varijs modis artificiosis necantur.

Cap.3.p.156. Canis rabidi dignoscendi signa afferuntur ex adiacentibus cani, tum ex vulnere ipso.

Cap.4. p.159. remedia docentur, quibus canes non timeas, vel ab ijs non latreris. Historias demorsorum

aliquot describit. p. 163. inquirit quænam sit causa immediata rabiei, quam concludit esse saliuam. p. 171. in dentibus peculiarem malignitatem latere docet.

Cap. 5. p. 172. progressum describit, quo saliua rabiem creat. p. 173. signa describit pathognomonica demorsorum, tum prognostica.

Cap. 7. p. 176. instituit curationem demorsorum, & primo vlceris ipsius. p. 179. inquirit quandonam demorsis sanguis sit mittendus. Locus Auicennæ illustratur. p. 182. de horum purgatione disserit, & specifica humorum præparatione. p. 185. alexipharmaca docet. pag. 188. & 190. attrahentia foràs venenum affert.

Cap. 8. p. 192. hydrophobiam impendentem impedit. p. 195. hydrophobiam præsentem curat. p. 201. præsens remedium affert, quo intus, & extrà ad vulnus vtitur. p. 203. diætam instituit exactam, & variam.

Cap. 9. p. 205. vulnus canis rabidi intempestiuè curatum quandonam sit iterum aperiendum docet. p. 210. vomitus quando conueniat hydrophobis explicat. pag. 211. dat causas cur balneum aquæ rabiem caninam curet. p. 212. inquirit cur hydrophobi salutares aquas timeant, & iisdem canes videri in illis ait.

Cap. 10. p. 217. docet cur sorbi vmbra rabiem sopitam excitet, & hydrophobi inuiti sine titillatione semen effundant. p. 218. quærit cur hydrophobi se nolint in speculis contemplari, & id si faciant, aspiret aura salutis. p. 221. cur mense Februario sopita rabie excitetur. p. 122. quærit cur tantum propè mortem febriant hydrophobi. p. 226. soluit auctoritatem Aristotelis, qui docuit cum homo rabiat, & ex ra-

bie

bie moriatur, vt cæter animalia, tamen contrarium docuerit Aristoteles. p. 231. cur canes sint audaces, cum tamen multis sint frigidi.

SVMMA LIBRI
DE NATVRA VISIONIS.

PAg. 241. *proponuntur opiniones Platonis, & Aristotelis circa modum, quo fit visio. p. 242. probat non dari species intentionales. pag. 147. obiecta contra hæc soluuntur. p. 252. docet visionem fieri extramissione. p. 254. spiritum visiuum omninò ab oculis extramitti tradit, & pluribus probat. p. 265. idem fusè probat pluribus propositis problematis, & morborum causis, quæ illum spiritum conuincunt. p. 277. obiecta soluit. p. 281. probat dari vim visiuam suprà explicatam. p. 284. docet lumen, quod ab ipsis oculis procedit aliquando sufficere ad visionē absq; auxilio externi solis splendoris. pag. 286. affert legitimam explicationem axiomatis: sensibile supra sensum positum non facit sensationem.*



IN-

INDEX RERVM
QVÆ IN HOC OPERE
continentur vberrimus.

A

Ani-

trin-

Au-

Ca-

Eli-

E

F

G

Ha-

H

Hy-

cun-

R

S

Sma-

T

V

DE

DE AVRO ARTE FACTO

Vtrum sit Pharmacum cordiale

LIBER VNVS.

AVCTORE IACOBO CARANTA
Doctore Philosopho, & Medico.

Proponuntur quatuor opiniones, & docetur in terræ cauernis naturaliter aurum fieri melius, & deterius.

SECTIO PRIMA.

CONSTAT apud Medicos aurum, quoquo modo exhibeatur, cordis affectibus mirum in modum conferre, vt prosit nõ communi quadam, sed singulari ratione. Etenim Margaritæ tàm perforatæ, quàm non perforatæ, & sericum crudum cor mirè iuuant, non tamen semper, sed vbi tenebrosus spiritus illustratione indiget, ac luciditate. Vinum item cordiale est, & ius carnis, sed tunc solummodo ijs vtendum, cum virtus defectu spirituum labascit, nõ vbi copia adest spiritus caliginosi. Charabe, & Emblici sunt item cordialia, at si resolutio non adsit spiritu ũ, frustra hæc præscripseris. Quid quod aromatica, quæ sunt omnia cordialia, in cordis affectibus

Margaritæ illustrant spiritus.

Vinum est cordiale reficiendo.

Charabe cordialis in resolutione.

Aromata cordialia in affectibus frigidis.

bus ex rationibus allatis, & hic etiam adnectendis, Ratio 1. quarum prima est, quia natura intendit perfectissimorum generationē, ergo semper aurum producet [si ex alijs metallis potest fieri] at sæpius gignuntur alia metalla, ergo natura, idest Deus eluderetur posito quòd metalla imperfecta sint aurum tantum inchoatum. erunt itaque aurum perfectum physicè loquendo, licet non habeant quædam accidentia auri vulgò vocati, quæ cum ab arte in dispositā materiam induci possint, ars aurū solum dicetur producere quoad extrinsecas, & accidētarias quasdam perfectiones, non intrinsecas. 2. Secunda est, quia natura mouetur ad assequtionem formæ substantialis, qui est eius finis; ergo adepta finem hunc conquiescet: consequentia probatur, quia omnis actio naturalis fit propter aliquem finem consequēdum, ergo posito fine debet cessare actio, ergo statim, ac materia assequta erit formam stanni, non amplius mouebitur ad formam argēti, & ab hac ad formam auri, ergo erūt metalla diuersæ speciei, aliòqui cum constet imperfecta metalla in visceribus terræ maioris decoctionis beneficio in perfectiora transmutari, concederetur actio aliqua; quæ propter nullum fieret finem, quod si verum est; quod infra probabitur, metalla specie non differre, non dabitur actio, qua imperfecta metalla in aurum verum conuertantur mutatione substantiæ: cū autem aliquo modo mutentur per artem, erit mutatio sola accidentalis, non substantialis. 3. Tertia est, quia in metallis imperfectis mixta reperiuntur perfecta metalla, vt in plumbo argentum [quarum metallorum fossores in libris plumbi centum, argenti vncias aliquot separarunt, & in argēto aurum reperitur alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte, vt infra ex Plinio di-

cemus] ergo lapis Philosophorum, si datur, proiectus super imperfecta metalla, ab illis aurum, argentumque tantum separabit, non autem illam transformabit; qua ratione dicetur ars Chemica aurum accidentaliter producere, quia separat ab imperfectis metallis; non autem quod simpliciter illud producat suo artificio.

Quarta opinio tuetur aurum legitimum arte fieri posse. est expressè opinio D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad primum, & cum eo aliorum multorum Alberti, Arnaldi, Bernardi Com. Treuisi, Ioãnis Franc. Mirandul. lib. 2. de auro, & libro 3. toto, Penoti, Iosephi Quercet. Armen. Martini Delrij lib. 2. cap. 5. quæst. 1. disq. Magic. & aliorum sexcentorũ, à quorum enarratione supersedeo, hanc opinionem infra euidentissimis rationibus demonstrabimus. In re grauissima, & difficultatibus plenissima sensim progrediemur, viamque nobis aperiemus aliquot suppositis paulò diligentiùs etiam probandis, quibus nixa tota disputatio assurgat, quæq; lucem apériant, vt meliùs quid in re difficillima statuendũ sit, cuinis innotescat. Itaq; ad supposita omnino præmittenda accedo.

Opinio asserẽtiũ verũ aurum fieri per artẽ.

Suppono primò naturaliter in terræ latebris, & alijs locis auriferis gigni aurũ magis, & minus perfectum. Dixi naturaliter, neque enim adhuc loquor de auro per artem facto. Dixi in terræ latebris, & alijs locis auriferis, quia non in specubus terræ solùm, in quibus aliquando purum aurum effoditur, licet vt plurimum lapidibus incorporatum inueniatur, vt experientia patet, & auctoritate Alberti de reb. metal. lib. 4. cap. 6. sed etiam in fluminibus multis, puta in Pado Italiæ, in Tago Hyspaniarum, in Hebro Thraciæ, in Pactolo Asiæ, in Gange Indiæ,

Aurum datur naturaliter magis, & minus pfectum.

Varia loca in quibus aurũ gigni potest.

In terræ cauernis

In fluminibus.

quem

quem esse Physon, de quo Moyses in Genesi loquitur, satis patet, vt & in Ozo Bactrianorum ex Aristotele de admirandis auscultationibus reperitur: effoditur etiam in puteis, & ruina montium, aliquando etiam tellure summa protinus rara foelicitate, vt in Dalmatia principatu Neronis ex Plin. lib. 33. nat. hist. cap. 5. gignitur etiam aliquando in capite humano, quod accidisse suo tempore narrat Albertus lib. 3. de reb. metal. cap. 3. quo visum est cranium superius hominis multis auri particulis refertum, licet Scaliger præter rationem hoc non admittat, & paulò liberius Albertum calumnietur iniquè exercit. 102. in Cardanum num. primo. Idem accidere potest in ventriculis animantium conuersis edulijs vi caloris naturalis agentis in puluerem aureum, eadem prorsus ratione, qua generatur in terræ specubus, quod accidisse sua tempestate narrat Ioannes Franc. Mirandul. lib. 2. de auro cap. 7. in hæc verba: inuentum quoq; est aurum in perdicum ventriculis tempestate mea, siue quod illę dum in terræ superficie conspiceretur instar edulioru deglutiuerunt; siue generatum sit ex eduliorum occulta potestate, quibus è terra sint auri exordia communicata, præcipuè in Marsorum montibus herbarum potestate nobilitatis. hæc ille. Quin etiam circa littora ebullire aurũ, & alueo quoq; deferri in Theodoronte prodidit Aristoteles de mirabil. auscult. Quid quod aliquando in secunda regione aeris aurum genitum fuisse auctorum monumenta testantur? nam in Ophiusa Insula, quæ Pelagia quondam dicebatur, aureus imber è coelo decidit, vt refert Ammianus Marcellinus lib. 17. addo denique dentes aureos capris syluestribus fuisse in Ida Cretæ, quod est valde celebre, & fieri potuit herbarũ, quas

In puteis.

In sũma terra.

In capite humano.

In vetriculo animalium.

Circa littora, & in secunda regione aeris.

In gingiuis caprarum.

ibi

biedunt, viribus, vt ex infra dicendis patebit, sic ex-plicata suppositio probatur primo auctoritate, secundo ratione. Prima auctoritas est sacrarum litterarum, quarum in Genes. cap. 2. hæc sunt verba: Ipse est [loquuntur de Physo flumine] qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius est optimum. ergo aurum aliarum regionum erit deterius, alioqui cur tantopere commendetur aurum Heuilath; si quod alijs in locis effoditur præstantia illi non sit inferius? sat enim fuisset dicere nasci aurum in terra Heuilath, & hoc est aurū, quod in sacris litteris aurum Indicum dicitur; quod alibi sæpius cōmendatur: nam subdit ibidem Moyses: ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus; bdellium autem nasci in Arabia testis est Dioscor. lib. 1. cap. 69. nam inquit esse lachrymam arboris Saracenicæ, Saraca autem est vrbs in Arabia, ex qua Saraceni; vbi & in India nasci ait, licet minus probatum, quod Plinius cōfirmauit lib. 12. nat. hist. cap. 9. quare etiam in Psalmo legitur: & dabitur illi de auro Arabiæ; cur enim de hoc potius, quàm de alio, nisi sit præstantius? Secunda auctoritas est Græcorum, qui aurum quoddam obrizum vocant, sed non omne tale est. pro obrizo autem optimum, & perfectissimum intelligunt, nimirum vt indicent dari imperfectius: appellāt obrizum aurum purissimum, vel vt alij illud, quod apyron veteres nuncuparunt, velut Mirandul. libro 2. cit. cap. 7. quasi eurizon, quod ex optimo prodeat germine, vel vt alij quasi abron, ac si dicas tenerum, molle, ac delicatum, barbarum vulgus Chemicorum malleabile vocant, quorum omnium figmenta sunt pro cuiusque ingenio, & solertia excogitata, cum obrizum aurum dictū sit, quod simili colore rubeat, quo ignis, vt propterea obra-

Probatio ab auctoritate prima.

1.

2.

dict

In puteis. In sũma terra. In capite humano.

quem esse Physon, de quo Moyses in Genesi loquitur, satis patet, vt & in Ozo Bactrianorum ex Aristotele de admirandis auscultationibus reperitur: effoditur etiam in puteis, & ruina montium, aliquando etiam tellure summa protinus rara fœlicitate, vt in Dalmatia principatu Neronis ex Plin. lib. 33. nat. hist. cap. 5. gignitur etiam aliquando in capite humano, quod accidisse suo tempore narrat Albertus lib. 3. de reb. metal. cap. 3. quo visum est cranium superius hominis multis auri particulis refertum, licet Scaliger præter rationem hoc non admittat, & paulò liberius Albertum calumnietur iniquè exercit. 102. in Cardanum num. primo. Idem accidere potest in ventriculis animantium conuersis edulijs vi caloris naturalis agentis in puluerem aureum, eadem prorsus ratione, qua generatur in terræ specubus, quod accidisse sua tempestate narrat Ioannes Franc. Mirandul. lib. 2. de auro cap. 7. in hæc verba: inuentum quoq; est aurum in perdicum ventriculis tempestate mea, siue quod illę dum in terræ superficie conspiceretur instar eduliorum deglutiuerunt, siue generatum sit ex eduliorum occulta potestate, quibus è terra sint auri exordia communicata, præcipuè in Marsorum montibus herbarum potestate nobilitatis. hæc ille. Quin etiam circa littora ebullire aurũ, & aluco quoq; deferri in Theodoronte prodidit Aristoteles de mirabil. auscult. Quid quod aliquando in secunda regione aeris aurum genitum fuisse auctorum monumenta testantur; nam in Ophiusa Insula, quæ Pelagia quondam dicebatur, aureus imber è cœlo decidit, vt refert Ammianus Marcellinus lib. 17. addo denique dentes aureos capris syluestribus fuisse in Ida Cretæ, quod est valde celebre, & fieri potuit herbarũ, quas

In ventriculo animalium.

Circa littora, & in secunda regione aeris.

In gingiuis caprarum.

biectum; viribus, vt ex infra dicendis patebit, ſic explicata ſuppoſitio probatur primo auctoritate, ſecundo ratione. Prima auctoritas eſt ſacrarum litterarum, quarum in Geneſ. cap. 2. hæc ſunt verba: Ipſe eſt [loquuntur de Phyſô flumine] qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius eſt optimum. ergo aurum aliarum regionum erit deterius, alioqui cur tantopere commendetur aurum Heuilath; ſi quod alijs in locis effodiatur præſtantia illi non ſit inferius? ſat enim ſuiſſet dicere naſci aurum in terra Heuilath, & hoc eſt aurū, quod in ſacris litteris aurum Indicum dicitur; quod alibi ſæpius cōmendatur: nam ſubdit ibidem Moyſes: ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus; bdellium autem naſci in Arabia teſtis eſt Dioſcor. lib. 1. cap. 69. nam inquit eſſe lachrymam arboris Saracenicæ, Saraca autem eſt vrbs in Arabia, ex qua Saraceni; vbi & in India naſci ait, licet minùs probatum, quod Plinius cōfirmauit lib. 12. nat. hiſt. cap. 9. quare etiam in Pſalmo legitur: & dabitur illi de auro Arabiæ; cur enim de hoc potiùs, quàm de alio, niſi ſit præſtantius? Secunda auctoritas eſt Græcorum, qui aurum quoddam obrizum vocant, ſed non omne tale eſt. pro obrizo autem optimum, & perfectiſſimum intelligunt, nimirum vt indicent dari imperfectius. appellāt obrizum aurum puriſſimum, vel vt alij illud, quod apyron veteres nuncuparunt, velut Mirandul. libro 2. cit. cap. 7. quaſi eurizon, quod ex optimo prodeat germine, vel vt alij quaſi abron, ac ſi dicas tenerum, molle, ac delicatum, barbarum vulgus Chemicorum malleabile vocant, quorum omnium figmenta ſunt pro cuiuſque ingenio, & ſolertia excogitata, cum obrizum aurum dictū ſit, quod ſimili colore rubeat, quo ignis, vt propterea obra-

Probatio ab auctoritate prima.

2.

dict

DE AVRO ARTE FACTO

Vtrum sit Pharmacum cordiale

LIBER VNVS.

AVCTORE IACOBO CARANTA
Doctore Philosopho, & Medico.

Proponuntur quatuor opiniones, & docetur in terræ cauernis naturaliter aurum fieri melius, & deterius.

SECTIO PRIMA.

CONSTAT apud Medicos aurum, quoquo modo exhibeatur, cordis affectibus mirum in modum conferre, vt prosit nō communi quadam, sed singulari ratione. Etenim Margaritæ tàm perforatæ, quàm non perforatæ, & sericum crudum cor mirè iuuant, non tamen semper, sed vbi tenebrosus spiritus illustratione indiget, ac luciditate. Vinum item cordiale est, & ius carnis, sed tunc solummodo iis vtendum, cum virtus defectu spirituum labascit, nō vbi copia adest spirituum caliginosi. Charabe, & Emblici sunt item cordialia, at si resolutio non adsit spiritu ū, frustra hæc præscripseris. Quid quod aromatica, quæ sunt omnia cordialia, in cordis affectibus

Margaritæ illustrant spiritus.

Vinum est cordiale reficiendo.

Charabe cordialis in resolutione.

Aromata cordialia in affectibus frigidis.

Purgantia quæ sunt cordialia.

ex causa calida non sunt vsurpanda? Agaricum, succus rosarum, myrobalana pharmaca cordialia communiter ab omnibus cum Auicenna libro 2. de viribus cordis describuntur, quæ tamen intempestiuè sumerentur, nisi humor aliquis in corde, vel corpore sit vacuandus. Sola temperata medicamenta cordialia, inter quæ principalium fortè obtinet aurum, semper possunt præscribi, nunquam lædunt semper prodesse parata. Et licet hoc ab omnibus admittatur, dubium tamen est ad hanc vsque diem fortasse non ita bene discussum, vtrum aurum arte, quam Chemicam vocant, fabricatum cordi obsit, vel prosit. Et quoniam hæc quæstio supponit dari huiusmodi aurum, quod multi negant, ideò vtrunque hic examinabimus ab hoc vltimo inchoantes, cum quæstio an sit priorem locum debeat occupare. Et quidem hac in re plures certantium auctorum occurrunt sententiæ, quarum.

Aurum semper cordiale.

Opinio negantiū aurum fieri posse per artem.

Prima est adstruentium aurum arte Chemica fieri non posse, Ioannis Lyguri, Thostati, Ægidij Romani, Aponensis, Auerrois, quæ probari potest tribus potissimum rationibus. Quarū prima est, quia aurum est res naturalis, ergo à natura tantum fit, ergo non potest fieri per artem. Secunda est quia, vt Cardanus libro 6. de subtil. metalla imperfecta sunt exusta, at quod exustum est non potest amplius redire ad pristinam puritatem, ergo ea non poterunt in aurum conuerti: nulla itaq; ars poterit aurum facere, cum ad hoc tanquā materia metallis indigeat imperfectis, & non exustis. Tertia est, quia si daretur hæc ars, quæ olim apud Ægyptios publica fuisset, vt infra dicemus, extaret vtique hodie adhuc, at non extat, ergo non datur.

Ratio 1.

2.

3.

Opinio dubitantium.

Secunda sententia est dubitantium, licet in nega-

tiuam

tiuam partem videantur propendere, quibus silentium potius fuisset, quam quod ignorabant tractandum suscipere non determinãdo in hanc, vel illam partem. quoquomodo firmari videtur hæc opinio his rationibus: Primò enim videmus plerosq; Chemicorum adulterinam pecuniã cudere, sceleribus grauissimis deditos, alios atheos, alios necromanticos, & amicitiæ cum Dæmone suspectos fuisse Raimundum Lullum, Theophrastum, Paracelsum, Arnaldum à Villa noua, & alios; ergo ijs credendum non est; si enim fecerunt aurum, mentitum fecerũt, vel verum imponendi gratia supposuerũt, qua propter de artis veritate meritò possumus dubitare. Secundo licet hæc non obstarent, Chemici tamen exsibilandi essent, eò enim superbiæ deuenerunt, vt se solos doctos putent, solos Philosophos soli vocent; id autem non ferendum videtur, & arti ipsi nõ parum detrahit, si enim vera esset, tanta ostentatione non indigeret, vbi præsertim de secundo sanguine agitur, ergo est ars ambigua. Tertio commune dictum est: nunquam vidi Alchimistam diuitem, chrysopæia autem est Chemicorum; hanc si haberent ditescerent: at non sunt, nec fuerunt vnquam diuites, ergo nec eam habent, nec habuerunt; ergo probabile est non dari artem Chemicam realem, sed tantum sophisticam.

Ratio 1. | 2. | 3.

Opinio asserētiũ fieri aurũ quoad accidentia non quoad essentiam.

Tertia sententia est dicentium posse quidem fieri aurum quoad perfectiones extrinsecas, non tamen quoad intrinsecas. Est omnium quotquot asserunt aurum arte factum nõ posse medicinis cordialibus admisceri. citatur D. Thom. in 2. sent. dist. 7. quæst. 3. art. 1. Est Angeli verbo Alchimia, & aliorum multorum, quorum opinio potiùs examinãda est, quàm eorundem catalogus. videtur probari posse aliqui-

bus ex rationibus allatis, & hic etiam adnectendis,
Ratio 1. quarum prima est, quia natura intendit perfectissimorum generationē, ergo semper aurum producet [si ex alijs metallis potest fieri] at sæpius gignuntur alia metalla, ergo natura, idest Deus eluderetur posito quòd metalla imperfecta sint aurum tantum inchoatum. erunt itaque aurum perfectum physicè loquendo, licet non habeant quædam accidentia auri vulgò vocari, quæ cum ab arte in dispositā materiam induci possint, ars aurū solum dicetur producere quoad extrinsecas, & accidētarias quasdam
2. perfectiones, non intrinsecas. Secunda est, quia natura mouetur ad assequtionem formæ substantialis, qui est eius finis, ergo adepta finem hunc conquiescet: consequentia probatur, quia omnis actio naturalis fit propter aliquem finem consequēdum, ergo posito fine debet cessare actio, ergo statim, ac materia assequta erit formam stanni, non amplius mouebitur ad formam argēti, & ab hac ad formam auri, ergo erūt metalla diuersæ speciei, alioqui cum constet imperfecta metalla in visceribus terræ maioris decoctionis beneficio in perfectiora transmutari, concederetur actio aliqua, quæ propter nullum fieret finem, quod si verum est, quod infra probabitur, metalla specie non differre, non dabitur actio, qua imperfecta metalla in aurum verum conuertantur mutatione substantiæ: cū autem aliquo modo mutentur per artem, erit mutatio sola accidentalis, non substantialis. Tertia est, quia in metallis
3. imperfectis mixta reperiuntur perfecta metalla, vt in plumbo argentum [quarum metallorum fossores in libris plumbi centum, argenti vncias aliquot separarunt, & in argēto aurum reperitur alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte, vt infra ex Plinio di-

cemus] ergo lapis Philosophorum, si datur, proiectus super imperfecta metalla, ab illis aurum, argentumque tantum separabit, non autem illam transformabit; qua ratione dicetur ars Chemica aurum accidentaliter producere, quia separat ab imperfectis metallis, non autem quod simpliciter illud producat suo artificio.

Quarta opinio tuetur aurum legitimum arte fieri posse. est expressè opinio D. Thom. 2.2. quæst. 77. art. 2. ad primum, & cum eo aliorum multorum Alberti, Arnaldi, Bernardi Com. Treuis. Ioãnis Franç. Mirandul. lib. 2. de auro, & libro 3. toto. Penoti, Iosephi Quercet. Armen. Martini Delrij lib. 3. cap. 6. quæst. 1. disq. Magic. & aliorum sexcentorũ, à quorum enarratione supersedeo, hanc opinionem infra euidentissimis rationibus demonstrabimus. In re grauissima, & difficultatibus plenissima sensim progrediemur, viamque nobis aperiemus aliquot suppositis paulò diligentiùs etiam probandis, quibus nixa tota disputatio assurgat, quæq; lucem aperiant, vt meliùs quid in re difficillima statuendũ sit, cuiuis innotescat. Itaq; ad supposita omnino præmittenda accedo.

Opinio asserẽtiũ verũ aurum fieri per artẽ.

Suppono primò naturaliter in terræ latebris, & alijs locis auriferis gigni aurũ magis, & minus perfectum. Dixi naturaliter, neque enim adhuc loquor de auro per artem facto. Dixi in terræ latebris, & alijs locis auriferis, quia non in specubus terræ solùm, in quibus aliquando purum aurum effoditur, licèt vt plurimum lapidibus incorporatum inueniatur, vt experientia patet, & auctoritate Alberti de reb. metal. lib. 4. cap. 6. sed etiam in fluminibus multis, puta in Pado Italiæ, in Tago Hyspaniarum, in Hebro Thraciæ, in Pactolo Asiæ, in Gange Indiæ,

Aurum datur naturaliter magis, & minus pfectum.

Varia loca in quibus aurũ gigni potest.

In terræ cauernis In fluminibus.

quem

In puteis. In sũma terra. In capite humano.

quem esse Physon, de quo Moyses in Genesi loquitur, satis patet, vt & in Ozo Bactrianorum ex Aristotele de admirandis auscultationibus reperitur: effoditur etiam in puteis, & ruina montium, aliquando etiam tellure summa protinus rara fœlicitate, vt in Dalmatia principatu Neronis ex Plin. lib. 33. nat. hist. cap. 5. gignitur etiam aliquando in capite humano, quod accidisse suo tempore narrat Albertus lib. 3. de reb. metal. cap. 3. quo visum est cranium superius hominis multis auri particulis refertum, licet Scaliger præter rationem hoc non admittat, & paulò liberius Albertum calumnietur iniquè exercit. 102. in Cardanum num. primo. Idem accidere

In vètriculo animalium.

potest in ventriculis animantium conuersis edulijs vi caloris naturalis agentis in puluerem aureum, eadem prorsus ratione, qua generatur in terræ specubus, quod accidisse sua tempestate narrat Ioannes Franc. Mirandul. lib. 2. de auro cap. 7. in hæc verba: inuentum quoq; est aurum in perdicum ventriculis tempestate mea, siue quod illę dum in terræ superficie conspiceretur instar eduliorum deglutiuerunt, siue generatum sit ex eduliorum occulta potestate, quibus è terra sint auri exordia communicata, præcipuè in Marsorum montibus herbarum potestate nobilitatis. hæc ille. Quin etiam circa litora ebullire aurũ, & alueo quoq; deferri in Theodoronte prodidit Aristoteles de mirabil. auscult.

Circa littora. In secunda regione aeris.

Quid quod aliquando in secunda regione aeris aurum genitum fuisse auctorum monumenta testantur, nam in Ophiusa Insula, quæ Pelagia quondam dicebatur, aureus imber è coelo decidit, vt refert Ammianus Marcellinus lib. 17. addo denique dentes aureos capris syluestribus fuisse in Ida Cretæ, quod est valde celebre, & fieri potuit herbarũ, quas

In gingiuis caprarum.

ibi

biedunt; viribus, vt ex infra dicendis patebit, sic explicata suppositio probatur primo auctoritate, secundo ratione. Prima auctoritas est sacrarum litterarum, quarum in Genes. cap. 2. hæc sunt verba: Ipse est [loquuntur de Physō flumine] qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius est optimum. ergo aurum aliarum regionum erit deterius, alioqui cur tantopere commendetur aurum Heuilath; si quod alijs in locis effoditur præstantia illi non sit inferius? sat enim fuerit dicere nasci aurum in terra Heuilath, & hoc est aurũ, quod in sacris litteris aurum Indicum dicitur; quod alibi sæpius cõmendatur: nam subdit ibidem Moyses: ibique inuenitur bdellium, & lapis onychinus; bdellium autem nasci in Arabia testis est Dioscor. lib. 1. cap. 69. nam inquit esse lachrymam arboris Saracenicæ, Saraca autem est vrbs in Arabia, ex qua Saraceni; vbi & in India nasci ait, licet minùs probatum, quod Plinius cõfirmauit lib. 12. nat. hist. cap. 9. quare etiam in Psalmo legitur: & dabitur illi de auro Arabiæ; cur enim de hoc potiùs, quàm de alio, nisi sit præstantius? Secunda auctoritas est Græcorum, qui aurum quoddam obrizum vocant, sed non omne tale est. pro obrizo autem optimum, & perfectissimum intelligunt, nimirum vt indicent dari imperfectius. appellãt obrizum aurum purissimum, vel vt alij illud, quod apyron veteres nuncuparunt, velit Mirandul. libro 2. cit. cap. 7. quasi eurizon, quod ex optimo prodeat germine, vel vt alij quasi abron, ac si dicas tenerum, molle, ac delicatum, barbarum vulgus Chemicorum malleabile vocant, quorum omnium figmenta sunt pro cuiusque ingenio, & solertia excogitata, cum obrizum aurum dictũ sit, quod simili colore rubeat, quo ignis, vt propterea obra-

Probatio ab auctoritate prima.

2.

dict

dict nitore purissimo ex Plin. nat. hist. lib. 33. cap. 3. ignis enim optimū est auri purissimi examen. Cum ergo quoddam aurum sit obrizum, quoddam non, patet aliud aurum altero esse perfectius. Tertiam
3. auctoritatem quidam ex Plinio sumunt lib. cit. cap. 4. vbi ait omni auro inesse argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte, in vno tantum Galliæ metallo trigesimam sextam portionem tantum reperiri, ideò cæteris præesse. Sed pace Mirandulani viri doctissimi, cum dicitur aurum aliud alio naturaliter esse, vel melius, vel deterius, non est sermo de auro, quod argentum habet immixtum, sed de puro auro, quod duellas viginti quatuor attingit: addit idem Mirādul. ex eodem Plinio ibidem aurum excellens à Caio ex auri pigmento fuisse factum, vt colligat aurum etiam dari deterius. sed hoc aurum teste Plinio parui erat ponderis, ita vt Caius, illud propter auaritiam expertus, detrimentum sentiret, ac si tantundem non valeret aurum, ac auri pigmenti libræ quatuordecim, quibus pro experimen-
4. to vsus fuerat. Quarta auctoritas est omniū quotquot de auri natura scripserunt, qui cum Plinio eodem lib. 33. cap. 4. auro fluminum nullum absolutius reperiri tradunt, cum cursu ipso, trituque sit valde perpolitum, ergo aurum, quod in cauernis terræ reperitur, non est ita perfectum. Venio ad rationes, pro quarum intelligentia sciendum est auro puro multas inesse proprietates, puta quod non sit immixtum alijs metallis, quod duellas viginti quatuor habeat, quod catillo cinereo liquatum in fumum non abeat, quod in cæmento regali persistat, nihil igne depereat, sed cōtinuatis ignibus ad bonitatem proficiat, quod colore verè sit aureo, igneo, obradiante, quod manum ex attritu non inficiat, quod sit val-

Proprietates veri auri.

de

de molle, ac proinde latissimè dilatetur, ac facilè, quod rubigine non tentetur, quod proprium pondus aliquot sæculis non perdat, quod aqua, quæ à partitione nomen est adepta, non in liquorem, sed furfuraceas laminulas [pagliuole vulgo vocant] abeat,& alias huiusmodi,quarum multę vel eædem ferè sunt,vel ex alijs sequuntur. Probatur itaq; primò,quia aurum natura factum potest,vel citiùs, vel tardiùs ad senium accedere [id quomodo sit intelligendum ex sequentibus patebit] ergo alterum altero perfectius erit. Secundo quia idem dici potest de alijs multis auri attributis, nam hoc aurum magis potest obradiare, quam aliud citra alterius materiæ mixtionem,plus,vel minùs faciliùs,vel difficiliùs dilatari, ergo vnum erit altero melius, vel deterius. Deinde aurum aliud alio melius olet, quia illius pars terrea minus est adusta, & blandiùs excocta, ac humori iuncta, ergo vnum melius, ac magis cordiale erit, quam aliud,licet in neutro sit vlla miscella alterius metalli. Tertiò,si aurum imperfectius conseruetur in aqua salis ammoniaci, vel in vrina puerorum,in qua idem sal sit solutus, plures gradus coloris aquirit permanentes,ergo perfici potest aurum per artem, ergo à natura etiam diuersæ perfectionis generabitur. Quartò, ars multas naturales virtutes rerum naturalium adauget,ac multiplicat, ergo & illa naturalia cum suis virtutibus naturam imitando pôterit facere. Antecedēs probatur, quia si magnetem calidum in oleum ferri sæpius mergas, magnetis virtutem semper magis, ac magis intendes,ita vt semipalmus magnetis virtutem habere possit decem, vel quindecim palmorum, cur ergo si ars vim illam adauget, eandem non poterit in materiam indere?. cur natura idem non poterit efficere,

A ratione 1.

2.

3.

4.

quę arte ipsa potentior est, quámque ars solum imitatur?

Obiectio.

Arguet aliquis fortasse contra dicta hoc modo: non datur homo homine perfectior, nam in ratione hominis ita perfectum esse Petrum, ac Paulum, & quemuis hominem Philósophi probãt, ergo nec dari poterit aurum auro perfectius. Respondeo in auro duplicem possę considerari perfectionem: altera est essentialis, quæ ibi reperitur, vbi est forma substantialis auri: altera est accidentalis, quæ sequitur accidéntia. illa non potest esse maior, vel minor, quia substãtia non suscipit magis, & minùs ex Arist. in Prædicam. ista verò potest esse maior, & minor, quia qualitates possunt esse, vel intensiores, vel remissiores, cum ex Philosopho suscipiant magis, & minùs: ratione ergo formæ substantialis vnum aurum alio perfectius non erit, quia nullum est metallum essentialiter altero nobilius: at in ratione proprietatum accidentalium aurum aliud alio præstantius dabitur ea prorsus ratione, qua aurum reliqua metalla antecellit.

Responsio.

METALLA OMNIA DEMONSTRANTVR easdem specie formas obtinere.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur intentum. Diuisio mineralium.

SECVNDO suppono in hac tractatione metalla omnia habere formas substãtiales eiusdem atomæ speciei. Sciendũ est corpora mineralia commodè posse diuidi in tres species, in lapides, in metalla, in media mineralia. Lapides ex terra potissimùm constãt, metalla ex humíditate vnctuosa, media mineralia ex vtrisque simul mixtis fiunt. Lapi-

dum

dum quatuor sunt genera. primum dicitur lapis generico nomine, vt magnes: secundum vocatur gemma, lapidis species valde dura, splendens, & varietate colorum insignis: tertium genus est marmor, lapis nitens, non quacunq; ratione, sed solummodo leuigatus: quartum dicitur saxum, cuius in ædificijs communiter est vsus. Metallorum species sunt sex secundum quosdam, aurum, argentum, plumbum, stannum, ferrum, æs. Quanquam alij plures species esse contendant, hydrargyrum cum Hermete, Alberto, & Platone superioribus addentes, & præterea plumbi genus quoddam veteribus Græcis incognitum, à neotericis bisemutum vocatum, quod nec candore plumbum album æquat, nec ita est atrum vt nigrum, sed media quadam incedit via, vt Georg. Agric. in suo Bermanno, & de nat. fossil. lib. 1. Alij plumbum à stanno specie non differre contendũt, quod alij etiam asserũt de ære, & ferro, quia horum vnius facilis est in aliud transitus, nam plumbũ longo tempore seipso, sine alia artis operatione, naturam stanni assumit, & ferrum si diutiùs in terræ visceribus coquatur fit æs. Addo & alios etiam metalli speciem constituere, antimonium nempe purum factum, quem Regulum antimonij vocamus, quo stannum colorem, & sonũ argenti aquirit eiusdem vncia vna in stanni libra liquata. Clarioris tamen doctrinæ gratia dic plures etiam dari posse species metallorum, prout plus, vel minùs in terræ visceribus excoquitur eorum materia, quam video fuisse Ammonij sententiam. quanquam hæ species accidentaliter tantum differunt, idest numero, non tamen specie, cũ eadem sit omnium essentialis definitio. Media mineralia partim participant naturam lapidum, partim metallorum, ex quo nomen sorti-

Lapidũ quatuor genera.

Metallorũm species sex.

Hydrargyrũ est metallũ secũdum quosdã.

Plumbũ bisemutum species metalli secũdũ quosdam.

Antimonij regulus secũdũ quosdam.

Nota. Metallorum species esse possunt.

Medium minerale quid.

Quęnam sint. ta sunt. huiusmodi sunt sal, & salium genera, atramenta, alumen, arshenicum, marchasita, nitrum, tutia, electrum ex nitro, & argento factum. Metalla dicunt Chemici originem ducere ex Mercurio plusquàm ex sulphure, & media, seu minora mineralia vocata ex sulphure plusquàm Mercurio. At hi loquũtur de materia proxima, non autem de remota, de qua si loquamur, dicendum est cum Aristotele lib. 3. meteor. cap. 6. & Alb. lib. 3. de reb. metal. cap. 2. [eorum enim opinio eadem re est, licet verbis quodammodo differre videantur.] esse vel humorem, vel halitum, idest attenuatum humorem varia proportione cum exhalatione, vel puriore, vel fæculentiore commixtum vi caloris agentis, & miscentis, ac frigoris vnientis, ac densantis in corpus redactum. quo in opere naturæ, vel humor valde abundat, vel exhalatio: si exhalatio, gignitur aliquod medium minerale, vt docet Aristot. in fine libri 3. meteor. si humiditas, fit argentum viuum. si causa agens perseueret argentum viuum perfectius miscebit, an concoquet superfluam humiditatem absumendo, & maiorem siccitatem melius cum humido residuo coniunctam inducendo. Ergo inducta tanta siccitate, quanta ad consistentiam requiritur, fit ex hydrargyro, vel Mercurio Saturnus; hinc facilis plumbi transmutatio in argentum viuum: quod si maiorem siccitatē agente calore natura in materiam inducat, gignitur Iupiter; hinc stannum, & perfectius, & minus frigidum est plumbo: si vlterius agat causa perseuerans, subinde alia ex eodem principio gignuntur me talla pro ratione qualitatis causæ a gentis, frigoris, caloris, humoris, exhalationis fœculentæ, vel defæcatæ concurrentis, donec tandem perueniat ad Lunam

Metalli & medij mineralis materia proxima.

Eorundē materia remota.

Quomodo gignātur media mineralia. Mercurius. & metalla omnia in terræ latebris.

puram, quæ poſtmodum per maiorem naturæ decoctionem in aurum magis, vel minùs perfectum conuertitur. Vide hac de re Bernardi Comitis Treuiſani de Alchemia librum.& huc ſpectat commune illud Chemicorum axioma,non dari Solem,qui prius Luna non fuerit. Vt ergo tandem ad concluſionem veniamus,dico formam ſubſtantialem,quā in prima ſui generatione ſortitus eſt, ſemper retinere Saturnum, ſiue mutetur in ſtannum, ſiue argentum,vel aurum,& mutationes tantùm accidentales ſubire in hac metamorphoſi,in qua mutatur calor, frigus,humiditas,ſiccitas,denſitas,color, ſapor,pondus,& multæ aliæ proprietates, quæ tamen nō poſſunt arguere ſpecificam diſtinctionem. Dixi Saturnum,non Mercurium,quia mihi placet eorum opinio, qui Mercurium è numero metallorum ſegregarunt. Probatur itaque primò concluſio propoſita, quia omnia metalla eandem ſortiuntur generationem in terræ viſceribus ex humore prædominante, & pauciore exhalatione, quæ prout longiorem,vel breuiorem actionem caloris ſubeunt in varia ſolida corpora ductilia formantur, ergo metalla omnià habent eandem formam ſubſtantialem numero tātum differentem, & confirmatur, quia metallum ex Falop. de metal. & foſſil. cap. 10. eſt corpus foſſile,durum,igne liquabile, & quod in natura ſua permanens malleo in omnem poſitionem duci poteſt, ſed hæc definitio eadem omnibus metallis conuenit,eique vnumquodque metallum addit tantùm aliquid accidentarium qua eſt tale, ergo omnia metalla eadem erunt ſpecie, licet accidentaliter inter ſe differant. Secundò probatur, quia addito tantum maiore calore, & ſiccitate Saturno, aptè tamen commixto humido cum ſicco,generatur aliud

Forma ſubſtantialis metallorum eſt eadē ſpecie.

Concluſionis ꝓbatio 1.

Confirmatio.

2.

metallum, ergo fit tantum mutatio accidentalis, & tamen fit alterius metalli generatio, ergo per solam formam accidentalem differunt hæc metalla. Ter-
3. tiò probatur, quia ex vi Elixir breuissimo temporis spatio plumbum,& argentum conuertūtur in aurū, vt infra probabimus, & tamen improbabile est in materia tam dura, tam densa, tam breui tempore formam,tam illustrem,qualis est auri,iutroduci posse,ergo introducentur tantùm formæ accidentales, ac proinde nulla inter illa erit quoad formam sub-
4. stantialem differentia. Quartò probatur, quia vapores ex aqua eleuati communiter dicuntur esse eiusdem speciei cum aqua,quia in eam facilè reuertuntur, si frigiditatem, & densitatem maiorem nanciscantur, ergò eodem pacto dicendum erit plumbum essentialiter non differre à stanno,quia addito maiore calore,& decoctione in stanum facilè commutatur. idem autem de alijs metallis iudicari ferè
5. debet. Quintò,quia in eadem proiectione Elixir aliquando factum est aurum simul,& argentum, vt ex aqua separationis apertè innotescebat,ergò non distinguuntur,nisi secundum magis,& minus, nā partes,quas Elixir non poterat perfectè fixare, & tingere fiebāt argentum. reliquæ aurum, quæ si fixæ fuissent, ac tinctæ sine alia alterius formæ substantialis additione fuissent aurum. huius autem experimenti testis oculatus fuit oculatissimus Mirādul. cit.lib.
6. 2. de auro cap. 4. Sextò denique, quia frustra multiplicantur formæ istæ substantiales, cum commodiùs omnia saluentur posita vnica metallorum essentiali specie atoma. Quòd si quando probati auctores dicant metalla differre specie, vel loquuntur more vulgi, vel loquuntur de diuersitate specifica accidentali,non essentiali. Hermes, Gigil cum alijs

ex Albert. lib. 3. de reb. metal. cap. 8. dicunt omnes formas metallorum in omnibus metallis reperiri, apparere autem solam prædominãtem, ex eo fortè decepti, vel quia mutãtur metalla, vel quia aurum, & argentum in aliis metallis reperiuntur. Verùm quàm sit absurda horum opinio nemo non videt: nam in catillo cinereo abit in auras plumbum, non argentum, & si solum plumbum ponas, totum abit, nulla remanente in catillo materia, ergo cum plumbo nulla est alterius metalli mixtura etiam occulta, aliòqui enim in catilli fundo præsertim purissima remaneret. Item si solum argentum in aquam fortem inijcias, totum abibit in aquam, nihil in furfuraceum sedimentum, ergo nihil auri inest in argento, ergo commentitia est hæc opinio. Mitto sexcentas rationes ex Philosophia deprõptas, quibus hæc opinio conuelli posset, vt quod idem numero esset, & non esset hoc; esset in pluribus speciebus eodem tempore, & alia huiusmodi. Et quia ad eorum omnium, de quibus hoc loco sermo est, cognitionem penitiorem valde confert nosse quid de vita metallorum sentiendum sit, quod alij ante nos inuestigarunt, & quasi sub allegorijs explicarunt; ideò hoc in præsentia inquiramus paulò diligentiùs.

Opinio Hermetis de formis metallorũ. Confutatio.

METALLA OMNIA VITA ESSE prædita ostenduntur.

SECTIO TERTIA.

TERTIO suppono metalla omnia secundum veram philosophiam vita prædita esse. Cum dicimus metalla viuere, animam vegetatiuam illa habere intelligimus, quam vita cum Aristotele lib.

Metalla habẽt animã vegetatiuam.

Vita vegetatiua quid sit.

de respirat. cap. 14. definimus esse permansionem animæ nutritiuę cum calore. nam & 2. de anim. tex. 13. ea viuere dicuntur, quæ vel intelligunt, vel sentiunt, vel mouentur, vel nutriuntur, & augentur, vel decrescunt, quod etiam paulò ante docuerat Philosophus tex. 3. non quidem, quod vellet ipsam vitam in actionibus consistere, vt in nutritione, sensatione, vel intellectione, quod putauit Cardan. lib. 5. de subtil. & Fernel. qui lib. 5. cap. 1. physiol. vitam propriè quandam esse viuentis functionem docet: sed in actionum harũ principio, & actu primo. sic enim vita actus animæ benè dicitur, si intelligas actum primum, qui Aristoteli est entelechia, non autem ergon, quod operationem, & actum secundum significat, vt bene Scaliger exercit. 102. num. 5. in Cardan. annotauit. quomodo enim apoplectici, quomodo præfocatæ fœminæ dicantur viuere, in quibus functiones nutritiuæ præsertim animæ videntur abolitæ, si in actionibus anima constituatur: maneat ergo cum Philosopho ibi absolutè vitam esse, vbi est anima cum calore, quo tãquam primario instrumento vti potest ad functiones per facultates obeundas. propterea sic Aristotelem sequuti in proposita materia philosophamur: Vbi est anima vegetatiua cum calore, ibi est vita, at in metallis est anima vegetatiua cum calore; ergo in ijs erit vita. minor huius argumenti probanda est. Certum est animæ vegetatiuæ potentias esse tres, nutritionem, augmentationem, & similis generationem ex Philosopho, & has vti quatuor alijs potentijs ministrantibus, attrahente, retinente, concoquente, & expellente. porrò istæ omnes potentiæ cum ab anima vegetatiua dimanent, sine illa nequeunt reperiri, itaque cum sint in metallis, illam etiam animam

Vita non in actionibus, sed in illarũ principio consistit.

Probatio cõclusionis.

Animæ vegetatiuę potẽtię tres.

ea

ea habere dicendum erit. Neque verò est hoc à Philosophorum principe alienum. Ipse enim libro de mirabilibus auscult. ait circa Philippos in Macedonia metalla inueniri, quorum ramenta crescant disiecta, aurumque manifestò producant:& in Cypro circa Tyrriam quam vocant, ferrum natura æquè miranda prouenire, nam in minuta frusta concisum seritur, deinde aqua perfusum augetur, surgitque vt colligi queat. In Hungaria exit aurum è terræ solo quasi germinans, filamenti specie, longitudine quaternum circiter digitorum, aliquãdo etiam denum, vt Scaliger exercit. 102. num. 1. In Germania citeriori intra Danubium vites reperiuntur, quæ sæpè clauiculos, & candicantia folia ex puro auro germinãt, vt tradit Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 4. cap. 9. quòd nimirum humor vnctuosus tali proportione cum exhalatione mixtus, ex quo ibidem metalla gignuntur copiosis auri fodinis, per radices vites subiens non secus, ac in terræ visceribus, possit aurum producere. Probatur ergo primò conclusio. Nam ramenta metallorum disiecta circa Philippos producunt aurum, ergo generatio similis in specie competit auro: hæc auro potentia est animæ vegetatiuæ propria. Secundò in argento ferè semper est aliqua auri portiuncula, quæ longis temporum interuallis augetur, vt accidit argento, quod in plumbo reperitur. Sed si ita aurum separetur ab argento, vt aqua separationis fieri solet, vel argentum à plumbo, vt nihil penitùs auri in argento, vel argenti in plumbo relinquatur, aurum in argento non augetur, nec generatur, quia nimirum cum ibi nulla sit proprij metalli augendi portio, non potuit nutriri, augeri, & sibi simile produci, quæ si sit, augetur, ergo illi competunt potentiæ vegetantis animæ, ac proinde vita.

Metalla crescunt.

Eadem probatio

2.

idem dico de ferro aqua perfuso, vt supra ex Philosopho. Huc spectat, quod philosophi grauissimi docuerunt, nempè aurum augeri mole, & pondere, si sepeliatur in terra, quæ ad Orientem Solem vergat, & sæpè hominis lotio perfundatur, & columbarum fimo stercoretur: euidens enim est hoc vitæ vegetatiuæ argumentum, crescit namque aurum non secus, ac aliæ arbores, licet non in parem proceritatem, quòd nimirum obscuras habeat suas seminarias virtutes.

Quomodo aurũ augeatur mole, & pondere.

3. Tertiò Galenus lib. 9. de simp. med. fac. ita inquit: Omnium, quæ nouimus vnicum plumbum tum mole ipsa, tum pondere augetur, si condatur in ædibus subterraneis aerem habentibus turbidum. Tum etiam plumbea statuarum vincula, quibus earum pedes annectũtur, sæpènumero creuisse visum est, & quædam adeò intumuisse, vt ex lapidibus dependerent crystalli modo verrucæ. hæc ille. Ita autem id fit. Plumbum valde frigidum est, & multam aereã humiditatem incrassatam continet, ratione cuius igni admotum celeriter liquatur: aere ergo frigido tanquam congeneo nutritur: in locis subterraneis aerem huiusmodi attrahit, attractum retinet, & in propriam substantiam calore proprio conuertit, atque hinc est, quòd mole augetur, & pondere probat hoc Cardanus lib. 5. de subtil. quia cum plumbũ vertitur in cerussam tertiadecima parte sui ponderis augetur, abeunte calore cœlesti animæ [tunc dicitur plumbum mori, debuit ergo vixisse, cum non moriatur, quòd nunquã vixit.] vt in alijs contingit animalibus, in quibus exhalante cum anima calore grauitas maior apparet.

Plumbũ in cerussam conuersũ augetur põdere.

Diebus superioribus consuluit me vir quidam distillandi peritissimus, qui me voluit esse testem oculatum huius experimenti. Laminas chalybis ignitas aceto acer-

Ratio parãdi oleũ ferri facillima.

rimo stillato duodecies infudit, in quo eas diebus quatuor reliquit. Inde extraxit, & acetũ croco Martis plurimo imprægnatum distillauit, crocus in fundo vasis relictus est pondere vnciarum viginti. Fuerant chalybis in laminas ducti libræ decem. Huius croci vncias sex in tenerissimum pollinem redegit, & vasi vitreo inclusit, ac in fimo equino diebus quatuor putrefecit, putrefactum stillauit, oleique eduxit vncias tres. Crocum in fundo vasis remanentem vncias sex pendere aduertit admiratus miraculum. Iterum redigit in puluerem, putrefacit, stillat, olei extrahit vncias tres iterum. Crocum residuum denuò sex vncias, ne tantillum quidem imminuto pondere, multo maiore correptus admiratione depræhendit. Tertio repetit opus, tantundem elicit olei, tãtundem pendere crocum re ipsa videt. Itaque ex sex vncijs huius croci Martis, iam elicuit nouem vncias olei ferri, croci pondere nõ diminuto. Rei huius causam huc libet adducere cũ de consimili causa mentio inciderit, plumbi nempè in cerussam conuersi, lectoribus rem gratam facturi, licet ad rem susceptã id nõ facere alicui fortè videri possit. Crocus Martis mixtum est corpus non grauissimum, neque leue. Partes terreas penitus compactas, & distillationi omninò rebelles, quod in alio quouis mixto vix reperies, obtinet aeris, ignisq; multum continet, quorũ tamen partes vix eliciãtur, nisi præuia putrefactione oleum ex croco Martis elicitũ aeris multum, ignisque plurimum continet, vt ex illius viribus, & actionibus innotescit. Euanescit enim facillimè, vel optimè cera, subereque obturato vase. Ex aere, igneque leuitatem corporibus inesse apud omnes est in confesso. Ergo educto oleo, crocus remanens tantundem, ac priùs, ponderis obtinere potest, quia substan-

Ex vncijs 6. croci Martis elicitæ sunt olei ferri vnciæ nouẽ remanentibus sex ũcijs croci.

Ratio naturalis tanti miraculi.

idem dico de ferro aqua perfuso, vt supra ex Philosopho. Huc spectat, quod philosophi grauissimi docuerunt, nempè aurum augeri mole, & pondere, si sepeliatur in terra, quæ ad Orientem Solem vergat, & sæpè hominis lotio perfundatur, & columbarum fimo stercoretur: euidens enim est hoc vitæ vegetatiuæ argumentum, crescit namque aurum non secus, ac aliæ arbores, licet non in parem proceritatem, quòd nimirum obscuras habeat suas seminarias virtutes. Tertiò Galenus lib. 9. de simp. med. fac. ita inquit: Omnium, quæ nouimus vnicum plumbum tum mole ipsa, tum pondere augetur, si condatur in ædibus subterraneis aerem habentibus turbidum. Tum etiam plumbea statuarum vincula, quibus earum pedes annectũtur, sæpènumero creuisse visum est, & quædam adeò intumuisse, vt ex lapidibus dependerent crystalli modo verrucæ. hæc ille. Ita autem id fit. Plumbum valde frigidum est, & multam aereã humiditatem incrassatam continet, ratione cuius igni admotum celeriter liquatur: aere ergo frigido tanquam congeneo nutritur: in locis subterraneis aerem huiusmodi attrahit, attractum retinet, & in propriam substantiam calore proprio conuertit, atque hinc est, quòd mole augetur, & pondere probat hoc Cardanus lib. 5. de subtil. quia cum plumbũ vertitur in cerussam tertiadecima parte sui ponderis augetur, abeunte calore cœlesti animæ [tunc dicitur plumbum mori, debuit ergo vixisse, cum non moriatur, quòd nunquã vixit.] vt in alijs contingit animalibus, in quibus exhalante cum anima calore grauitas maior apparet. Diebus superioribus consuluit me vir quidam distillandi peritissimus, qui me voluit esse testem oculatum huius experimenti. Laminas chalybis ignitas aceto acer-

Quomodo aurũ augeatur mole, & pondere.

3.


Plumbũ in cerussam conuersũ augetur põdere.

Ratio parãdi oleũ ferri facillima.

rimo stillato duodecies infudit, in quo eas diebus quatuor reliquit. Inde extraxit, & acetũ croco Martis plurimo imprægnatum distillauit, crocus in fundo vasis relictus est pondere vnciarum viginti. Fuerant chalybis in laminas ducti libræ decem. Huius croci vncias sex in tenerissimum pollinem redegit, & vasi vitreo inclusit, ac in fimo equino diebus quatuor putrefecit, putrefactum stillauit, oleique eduxit vncias tres. Crocum in fundo vasis remanentem vncias sex pendere aduertit admiratus miraculum, Iterum redigit in puluerem, putrefacit, stillat, olei extrahit vncias tres iterum. Crocum residuum denuò sex vncias, ne tantillum quidem imminuto pondere, multo maiore correptus admiratione depræhendit. Tertio repetit opus, tantundem elicit olei, tãtundem pendere crocum re ipsa videt. Itaque ex sex vncijs huius croci Martis, iam elicuit nouem vncias olei ferri, croci pondere nõ diminuto. Rei huius causam huc libet adducere cũ de consimili causa mentio inciderit, plumbi nempè in cerussam conuersi, lectoribus rem gratam facturi, licet ad rem susceptã id nõ facere alicui fortè videri possit. Crocus Martis mixtum est corpus non grauissimum, neque leue. Partes terreas penitus compactas, & distillationi omninò rebelles, quod in alio quouis mixto vix reperies, obtinet aeris, ignisq; multum continet, quorũ tamen partes vix eliciãtur, nisi prçuia putrefactione oleum ex croco Martis elicitũ aeris multum, ignisque plurimum continet, vt ex illius viribus, & actionibus innotescit. Euanescit enim facillimè, vel optimè cera, subereque obturato vase. Ex aere, igneque leuitatem corporibus inesse apud omnes est in confesso. Ergo educto oleo, crocus remanens tantundem, ac priùs, ponderis obtinere potest, quia substan-

Ex vncijs 6. croci Martis eliticæ sunt olei ferri vnciç nouẽ remanentibus sex ũcijs croci.

Ratio naturalis tanti miraculi.



tia leuitatem conferens est elicita, residua ergo portio mortui capitis mole minor, pōdere priori æqualis esse poterit. Ex hoc capite mortuo putrefacto secundo oleum elici potest, sed paulò difficiliùs; & consequens est aliquid partium terrearum cū oleo extillari. Itaque caput mortuum secundæ destillationis aliquo pacto leuius erit, quam in prima fuerit distillatione, quod quia parum omnino est, vix aduertitur, ac proinde pro nihilo reputatur. Id miraculi in alijs mixtis, ex quibus oleū elicitur, non contingit si excipias metalla, quia alia mixta terreas partes non ita repugnantes distillationi sunt à natura sortita, ex quo fit, vt illæ ex parte saltem cum aereis, & igneis in oleum transeant, ac proinde caput mortuum leuius reddatur. Prout ergo huiusmodi partes magis, vel minùs rebelles erunt, caput mortuum leuius, vel ponderosius reddetur. In omnibus enim mixtis, quòd diuersam à natura elementorum mixtionem sint sortita, diuersam hac in re reperies rationem. In re admodum difficili, si quis planiorem aperiat philosophandi rationem, pergratum nobis fecerit. Sed iam ad pensum nostrum, à quo paululum digressi sumus, redeamus. Quartò probatur, quia quæ mortem nouerunt, vixisse priùs necesse est, at metalla mortem patiuntur, ergo viuunt. Probatur minor à similitudine in lapide, nam magnes post longas temporum periodos non ampliùs trahit ferrum, ergo iuxta eos, qui volunt has operationes sequi formas substantiales, non ampliùs tunc viuet, hinc est, quòd tunc non augetur: vel secūdum eos, qui has tertias qualitates à tali mixtione, & proportione primarum, & secundarum meliùs censent oriri ob defectum caloris naturalis continget, qui defectus mortis est causa, quæ nihil aliud est, quàm

Cur id miraculi in alijs mixtis non contingat.

4.

animæ absentia à corpore ob defectum caloris innati. Porrò quod accidit magneti, contingit etiam in omnibus metallis, quæ modò crescunt in adolescentia, modò ac si virilem ætatem attigissent, in eodem statu consistunt, modò declinant in senio constituta, tandemque moriuntur, cum iam talia metalla dici non possunt, vt in ferro patet, quòd ob multā rubiginem iam in tophinam quasi coagmentationem est redactum, & ferrum quoddam mortuum vocari potest, cum vires ferri ampliùs non habeat. Hæc omnes concedunt in omnibus metallis, præterquàm in auro, non quòd in hoc à reliquis differat, sed quia minùs ad sensum ætatem variat, cum multis sæculis in eodem vigore permaneat. Fieri enim non potest, vt corpus sublunare sit perfectè immortale, ac æternum, licet multa multis sæculis possint in eodem statu perdurare, vt contingit in auro, cuius partes impuriores, & imperfectiores in auras abeunt, quæ nimirum in prima sui generatione non tam perfectam mixtionem sunt sortita, vt humidum vnctuosum subtile incorporaretur terrestri subtili fortiter commixto, ita vt plurimum vtriusq; non tantùm cum plurimo vtriusque, sed etiam in plurimum vtriusque coalesceret, quæ est perfectissima auri generatio ex Alberto lib. 3. de reb. metal. cap. 2. Cùm itaque metalla nutriantur, augeantur, generent, moriantur, quis illa viuere iure negabit? Dices nutritionem, quę fit ab anima vegetatiua fieri non per iuxta positionem, sed per intus susceptionem; augmentum autem metallorum fieri tantùm per iuxta positionem, ac proinde non concludi ex hoc illa viuere. Respondeo etiam hoc augmentum fieri per intus susceptionem, vt patet in exemplo superiore plumbi ex Galeno allato. Deinde auctori-

Aurum nū senescat.

Obiectio.

Responsio.



tas Aristotelis idem conuincit, ideò enim ferrum, de quo ille loquitur, crescebat, quia aqua perfundebatur, & hoc fiebat, vt aqua comminutam terram faciliùs attraheret per poros ad sui nutritionē, & augmentum, vt omnino contingit in plantis. Dices ex allatis hactenus non adhuc planè constare quomodo metalla sibi simile generent in specie, vt dicendū sit illa viuere. Respondeo primò generationem similis in specie non conuenire quarto modo viuentibus, ita vt omnibus necessariò competat, nam animalia ex putri materia generata sibi simile nō producunt, & tamen viuunt. Imò ex Philosopho 6. de histor. animal. cap. 16. & lib. 4. cap. 11. Anguillę nunquam generantur à causa vniuoca, nulla enim habent organa generationis, nunquam in ijs oua, vel semen deprehensa sunt, & tamen viuunt. Secundò dico metalla gignere sibi simile absolutè, lōgo quidem temporum interuallo in terræ visceribus, vel aliorum metallorum, vt supra de auro in argento, vel argento in plumbo diximus, breui autem hora redacta in corpus purissimum, quod proiectum super alia corpora eadem statim transmutat. Nā metalla, vt communiter illa tractamus spiritum habēt in crassiori materia cohibitum, qui si quando ritè secernatur, secretusque conseruetur, tanquam seminaria virtus poterit sibi simile generare, si modò materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem, qualem spiritum Physici diligentes sublimatione quadam ad ignem ex auro secernentes, cuiuis metallorum adhibebunt, aurumque efficient. Et hunc spiritum Elixir Arabes nominant ex Marsil. Ficin. lib. de vita cœlitus comparanda cap. 3. Sed hæc omnia clariùs patebunt inferiùs. Et quoniam vitæ metallorum valdè similis est lapidum vita, & multæ ratio-

nes,

De generatione metallorum.

Generatio similis in specie nō est omnium viuentiū.

Metalla gignūt sibi simile.

Lapides viuunt.

nes, quæ vitam eſſe in metallis probant, eandem etiam in lapidibus conuincunt, ideò parergos etiam in lapidibus vitam reperiri oſtendemus. Lapides ergo viuere hac ratione concluditur euidēter. Quia generati non ſtatim diſſoluuntur, aut pondere minuuntur, hoc autem ideò fit, quia terræ, & aeris partes ad ſeſe per poros attrahunt, ex quibus nutriuntur, & quaſi iu ætate conſiſtente perdurant, in qua conſiſtentia nullo modo poſſent perdurare, niſi nutrirentur, & partes, quæ continuè calore innato abſumuntur, alimento reficerentur, nam calor lapididibus innatus ſemper agit, vt in animalibus, licet minùs, quia multò minor eſt, & in hac actione reſoluit partes ad reſolutionem aptiores, hinc lapides in dies deberent fieri leuiores, poroſiores, & breui diſſolui, quod non alia ratione non contingit, niſi quia nutriuntur, & partes, quæ continuè deperduntur, continuo alimento reſtaurantur. Referunt auctores fide digni in lapidicinis marmoreis marmora excreſcere, & in Gallia in agro Corneliano in prælt a torrentis ripa lapides concipi, & parturiri. Vide Tholoſan. Syntaxi art. mirab. lib. 36. cap. 8. ex Leo: Bapt. lib. 2. de re ædificat. cap. 9. vbi ait etiam Romę inuenta ſub tellure fiſtuloſi lapidis Tyburtini minutalia vnum in ſolidum lapidem concreuiſſe. Ex Theophraſti, & Mutiani auctoritate lapides eſſe qui pariant item ſcribit Plinius nat. hiſtor. lib. 36. cap. 18. Sic & Albertus tractatu de lapidibus precioſis inquit: ſeneſcunt lapides quòad virtutes, nec tales dicuntur, niſi æquiuocè (tunc enim propriùs loquendo mortui ſunt) quia propter ſenium virtute corrupta in eis ſolum color remanet, & figura, quod longiſſimo tempore fieri tradit. Atque hoc ſenium, vel mors eſt in cauſa, cur in lapidibus multis precio-

Probatio.

Lapides creſcunt.

ſis eximias vires,quas illis attribuerunt antiqui,non experiamur, vt non omnis Smaragdus primo coitu Virginis impollutæ perrumpatur, non omnis Sapphirus anthracem curet, non omnis Smaragdus ſupra ventrem alligatus dyſſenteriam ſanet, quæ tamen aliquando ex antiquis,& recentioribus Medicis complures ipſiſſimis oculis conſpexerunt. Amplius teſtæ Limacum,quę ad lapides referuntur,nutriuntur, ergo viuunt:creſcunt item ſecundum omnem dimenſionem ſecundum omnes partes,ſecundum debitam proportionem,vt viuentium oſſa, ergo viuũt, ergo & cæteri lapides vita vegetatiua ſunt à natura donati. Hoc autem argumentum non ita facilè ab ijs,qui contrariam opinionem tuentur, ſolui poteſt. Præterea magnes ſine alimento virtutes ſuas deperdit, vt homo ſine cibo viribus naturalibus, animalibus, & vitalibus deſtituitur, ergo magnes nutritur, nutritio autem vitam arguit ex iam dictis. Antecedens patet experiẽtia,vt & illius contrarium: nam magnetis cibus eſt limatura ferri, in qua ſepultus nutritur, vt proprio alimento conſeruatiuo, & augente proprias vires. Sic obrutus ſcobe ferri magnes promptus eſt ſemper ad motum polum verſus,& lanugine quaſi quadam conuertitur, ſpirituſq; inde ſibi parat viuificos,quod facere vtiq; non poſſet, niſi vita præditus eſſet. At abſque hoc alimento ſeneſcit ob exhalationem inſitorum ſpirituum, vt moueri ſenſim deſinat. Sic magnes ad punctum quà vergit acuminatus,& vndequaq; ære, vel aurichalco præmunitus extrema acie excepta,ſi priùs vnciam vnam ferri in aera trahebat, ita munitus draphum ferè ferri pertrahit, vi magis vnita, vt conniuẽtibus oculis acutiùs intuemur viſiua in vnũ magis coeunte, experientia perilluſtrts D. Petri Ea-

Teſtæ Limacũ viuunt.

Nutritio magnetis

Vis magnetis quo cibo augeatur

Experimentum.

ſton

ſton rerum nauticarum ad miraculum expertiſſimi. Quæ fieri non poſſent,niſi magnes,atque adeò lapides omnes vita præditi eſſent. Item magnes virtutem iam deperditam recuperat [niſi omninò ſit mortuus, nam à priuatione ad habitum non datur naturaliter regreſſus] ſi in proprio alimento deſcripto ſepultus conſeruetur,non ſecus,ac nos vires reaſſumimus alimenti defectu exolu tas. Sic benè ſolues problema,quo quæritur cur magnes trahat ferrum, reſpondendo vt nutriatur proprio alimento. Item lithoſpermon gignit ſemen, quod verè eſt lapis, ſed illud ſemen viuit vita vegetatiua, vt nullus non affirmat, ergo lapides abſolutè viuunt, vel ſaltem lapis aliquis viuit, non eſt autem aſſignare diſparem rationem. Quod ſemen illud ſit verus lapis probatur,quia vt benè Falop.de metal.& foſſil.cap. 7. non vritur, nec molleſcit, vt vegetabilia vocata, nec liquatur,vt metalla,ergo eſt lapis. Deinde in lapidibus inuenimus, etiam partes heterogeneas, venas quaſdam, oculos, ac quaſi conceptacula quædam,quæ proportione reſpondent partibus, quæ in animalibus inſeruiunt nutritioni, & ſibi ſimilis generationi. Humor ſiue vnctuoſus,ſiue non, in lapidibus ſanguinis vices gerit, vt & in arboribus, quibus cortex pro pelle datus eſt,quo deſtituti ſunt lapides, qui vix pati poſſunt ob cutis defectum,cum parum caloris habeant, plurimum verò frigoris, & iniurijs externis facilè reſiſtant. Succum,ideſt humorem ex lapidibus hi quidem plurimum, hi minimum, vt & in arboribus eſt videre. Idem dico de venis, de nodis,quibus quaſi lapidum gāglijs,aut tonſillis ijdem proportione emunctorijs partibus corporis humani reſpondent. Ex quibus concludimus probabilem valdè eſſe opinionem vitam lapidibus conce-

Experimentum.

Cur magnes trahat ferrum.

Alia conclusionis probatio

Alia exo rabula.

dentium vegetabilem, quam non esse improbabilem visum est Delrio loco citato, & Io: Francisco Mirandul. in libris de auro, vbi inter cætera etiam cap.9. lib. 2. ait scripsisse Aristotelem in 2. de animal. generat. abstrusa quędam esse in metallis ad se multiplicandum semina.

Obiectio. Obijciunt quidam cōtra superiora, quia nullum animal, nullum vegetabile metallis nutritur, ergo metalla non possunt viuentium substantia fieri, ergo nec ipsa viuunt. Respōnsio. Respondeo nullum viuens nutriri metallo, imò nulla re, excepto sanguine, si de alimento immediato loquamur, si verò de mediato, dico viuentia nutriri animalibus, vegetabilibus, & mineralibus. De animalibus, & vegetabilibus patet. De mineralibus fidem facit Struthiocamelus, qui ferrum æque, ac nos coctas carnes concoquere perhibetur. Multa aqua impura, terra item, ac aere impuro nutriuntur, quod non repugnat sectæ peripateticæ adstruenti elementa pura non nutrire.

Obiectio alia. Obiicies præterea, quia ex putredine lapidum, & metallorum nullum animal generatur; ergo illa nō viuunt. Responsio. Respondeo primò per instantiam: ex ligno putrido anates generantur ex Delrio disq. Mag. lib. 1. cap. 5. quęst. 1. sect. 3. ergo lignum putridum vitam viuebat. Quod si putre lignum non viuens fuit materia, ex qua viuens genitum est, tàm ex viuentibus, quàm non viuentibus viuentia generari poterunt, nec concludi necessaria sequela: ex hoc gignitur, vel non gignitur viuens, ergo viuit, vel non viuit id ex quo fieri viuens, vel non fieri potest. Sic ex semine fecundū multos non viuente viuens animal generatur. Alia responsio. Secundò respondeo, ex metallis alteratis recipientibus dispositiones huius, vel illius animalis, hoc, vel illud viuens posse produci, frequentiùs tamen

men ex vegetabilibus, & animalibus corruptis alia viuentia produci, quàm ex mineralibus, quia hæc difficiliùs, ideò rariùs corrumpuntur, & magis dissimilia sunt animalibus producendis, quàm illa, ea prorsus ratione, qua crebrior, & facilior est mutatio elementorum in symbola, quàm dissymbola. Aristoteles quidem primo magnorum moral. cap. 1. Lapides viuere negat, quia non aluntur, ali autem proprium est animatorum. Sed loquitur ibi secundum opinionem vulgi id putantis ex eo, quòd in lapidibus nutritio non ita euidenter fiat, vt in animalibus, & plantis est videre, quo fit, vt lapides vulgò viuere non credantur, cui vulgari opinioni sese accommodat Aristoteles aliquando. Ex quibus omnibus patet probabilem esse hanc sententiam, licet non eam inficias contrariam opinionem non carere argumentis, si de lapidibus loquamur. Metalla enim viuere vitam vegetatiuam omninò credo, ex quo fit, vt vnum possit sibi simile generare, quæ tamen est generatio accidentalis, cum metalla habeāt formas substantiales easdem specie, vt asserimus, & euidenter probauimus.

Ad Aristot. auctoritatē

ANIMALIA OMNIA IRRATIONALIA per artem gigni posse explicatur.

SECTIO QVARTA.

QVARTO suppono omnia animalia perfecta per artem etiam posse fieri. Id si constet, necessarium profectò erit aurum etiam (quod viuens est admodum imperfectū, cum operationes viuentis ita obscuras habeat, vt communiter non viuere credatur) per artem fieri posse. Ne-

Proponitur intentū sectionis.

que enim tunc formæ obstabit excellentia, cū longè nobiliora artificio possint fieri. Conclusionis autem veritas patere potest ex eo, quòd animantia cuncta ex putri materia possint gigni. Licet enim Philosophorum multi negarint hac ratione produci posse perfecta animalia, ideò tamen in hanc sententiam cōcesserunt, quia communiter, & frequenter ita non producantur ob plures dispositiones ad eorum formarum generationem requisitas. Porrò cum rarò huiusmodi dispositiones simul in materia reperiantur putri, rarò etiam huiusmodi gignuntur animantes. Probatur hoc primò, quia corpora cęlestia possunt disponere materiam, eamque debitè præparare ad productionem formæ imperfectæ, ergò & ad generationem formæ perfectioris, & perfectioris. Antecedens probatur, nam anguillæ, vt paulò post dicemus, ex putredine vliginosa stagnorum generantur, ranæ ex puluere, & pluuia descendente, ex lignis marcidis teredo, apes, vespes, scarabæi, &c. vt infra. Sequela probatur, quia forma perfectior requirit plures dispositiònes in materia ad sui productionem, & è contra in materiam perfectiùs dispositam ex necessitate ab agente congruo introducitur forma perfectior, sed corpora cælestia sine concursu generantium vniuocorum possunt perfectiùs, & perfectiùs materiam putrem disponere, ergò & perfectiùs, ac perfectiùs animal generare. At non potest assignari talis dispositio prærequisita ad cuiusuis formæ introductionem, quæ excedat vim cælestem, ergò cælesti cælorum virtuti nō erit deneganda huiusmodi vis disponendi materiam ad generationem cuiuslibet animalis perfectissimi. Secūdò probatur, quia in Insulis est videre multa perfecta animalia, quæ ibi ab vniuoco non potuerunt

Animalia omnia ex putri materia possunt gigni.

Ratio 1.

2.

produci, ergo ex putri materia sunt producta. Probatur antecedens; quia tempore diluuij Noè omnia animātia aquis diluuij perierunt, præter ea, quæ in arca fuere seruata, quæ potuerunt tantùm multiplicari in regionibus continuis Armeniæ, & Palestinæ, ergò in alijs Insulis nunc reperiri non possent, at reperiuntur, ergo à causa æquiuoca genita, ergò ex putri materia. Neque enim enatare eò omnia potuerunt, tùm quòd multa natādi sunt imperita, tùm quòd multæ Insulæ sunt ita ab illis regionibus dissitæ, vt eò enatare non potuerint; neque nauibus probabile est in eas delata fuisse, quia multa sunt ferocissima. Vt quid ergo miracula sine necessitate adstruimus? Tertiò Phœnix perfectissimum est animal, quod nemo negat, at gignitur ex cineribus Phœnicis mortui sine semine, sine ouo, ergò & simili ratione alia perfecta animalia poterunt generari. Negare enim hāc huius auis generationē repugnat auctoritati tùm virorum doctissimorū, tùm Sanctorū Patrū, qui id disertè pluribus in locis docuerunt. 3.

His non incommodè addi potest, quod D. Candech Anglo nauigandi peritissimo contigit. Hic enim paucis ante annis totum orbem nauibus circūiuit, nummorum copiam incredibilem reportauit. Mox secundam nauigationem cum alijs amicis Anglis parauit, qua parata naues conscendit, itinerisque dedit. Sed contigit, vt post aliquot menses, milites, qui in nauibus erant, morbus sæuissimus epidemicus inuaderet, ita vt nullus ferè morbo non tentaretur. Præterea tantus in ijsdem nauibus murium numerus genitus est, vt naues his animalibus implerentur, imò ægrorum penè semianimorum nares, aures, manus, & quascunque partes dentibus possent petere, exederent, adeò vt nullus moreretur integro Confirmatio p historia.

cor-

corpore, carnibus vſque ad oſſa miſerãdum in modum exceſis. Quo factum eſt, vt claſſis ſit diſſipata, nec quod prima lucrum fecerat, potuerit obtinere, vel ad concupita Angliæ littora iterum peruenire. Idem aliquãdo duodecim ab hinc annis in vna nauium peri Iuſtris D. Petri Eaſton euenit, in qua ſub tropico Cancri propè Inſulam, quæ Brauo dicitur, ad latitudinem graduum ferè tredecim, tãta eſt murium multitudo procreata, vt neceſſe fuerit nauem comburere non ſine riſu, & admiratione circũcirca exiſtentium nauiũ huiuſmodi ſpectaculi contemplantium ob clamores incaleſcentium murium, qui arbores conſcendebant periculum declinare tentantes, vel modò puppim, modo proram verſus aufugiebant inimici ignis furias ibi non experturi falsò iudicantes, illos morientes, hos in mare, ſi fortè natatu ad vicinas naues peruenire poſſẽt, ſeſe proijcientes conſpicientium, denique mille alias rationes admirantium, quibus animalcula præſentem euitare moliebantur, ſed in caſſum. Si ergo in putrem nauium harum materiam diſperſam diſpoſitio genita eſt ad tot murium generationẽ ſufficiens ab agente æquiuoco, quid impediet concurrentibus ſimul pluribus æquiuocis cauſis tot diſpoſitiones, ac tales in debitam materiam produci poſſe, vt ex ea perfectiſſimum animal procreetur? Quænã enim ad perfectum animal prærequiſita diſpoſitio dari poteſt, qua perfectiorem, & perfectiorem non poſſint naturales æquiuocæ cauſæ in materiam introducere? hac autem facta perfectior, & perfectior, forma ab agente vniuerſali in eandem materiam producetur neceſſariò. Quartò probatur auctoritate Auicennæ, qui libro de diluuio ait aliquando vitulum in ſecunda regione aeris generatum cum

Hiſtoria alia.

4.

plu-

pluuia pluisse, aitque animalia imperfecta ex putri
materia generari in leuioribus, ac minoribus inun-
dationibus, perfecta verò in diluuijs maximis, vt pu-
ta Deucalionis, & similium, quòd probabilitate nō
caret. Nam si in minimis inundationibus potest di-
sponi materia ad formam imperfectam, quæ præ-
uias dispositiones paucas in materia prærequirit,
consonum est perfectiora animantia posse produci
in magnis diluuijs, in quibus materia ob plura adiū-
cta meliùs potest disponi. Imò hoc pacto ex putri
hominem ipsum posse generari idem auctor dedu-
cere est ausus, licet falsò mea sententia, vt infra. Ne-
que verò perfectis animantibus ex hoc infertur iniu
ria, sed tantum omnipotentiæ primæ causæ in hoc
admirabilior apparet, quippe quæ ad eundem termi
nū multis rationibus nobis imperspectis possit per-
uenire, cum potissimū huiusmodi animantium for-
mæ, licet perfectæ, ex materiæ potentia educantur.
Quòd si in aere ferrum, & æs genitum est aliquan-
sto referente eodem Auicenna, & in Perside ænea
corpora instar sagittarum durissima pondere libra-
rum quinquaginta è cælo iacta sunt: & in Hyspania
lapis ingens metallorum venis distinctus ex histo-
riarum monumentis nō multis ab hinc annis cum
pluuia item decidit; quid impedit eodē in loco ani-
malia perfectiora generari pluribus concurrenti-
bus circunstantijs? Deniq; circa Olyssiponem op-
pidum in Lusitania flante Fauonio equas obuersas 5.
animalem concipere spiritum, idque partum fieri
pernicissimum testatur Plin. lib. 8. nat. hist. cap. 42.
Admiranda enim est natura, vt in alijs, ita & in ge-
neratione rerum omnium. Multa præterea sunt ex
iam allatis, quæ nisi quotidiana experientia fieri vi-
deremus, nunquam adduci quis posset, vt crederet.

corpore, carnibus vsque ad ossa miserãdum in modum excisis. Quo factum est, vt classis sit dissipata, nec quod prima lucrum fecerat, potuerit obtinere, vel ad concupita Angliæ littora iterum peruenire.

Historia alia.

Idem aliquãdo duodecim ab hinc annis in vna nauium peri lustris D. Petri Easton euenit, in qua sub tropico Cancri propè Insulam, quæ Brauo dicitur, ad latitudinem graduum ferè tredecim, tãta est murium multitudo procreata, vt necesse fuerit nauem comburere non sine risu, & admiratione circũcirca existentium nauiũ huiusmodi spectaculi contemplantium ob clamores incalescentium murium, qui arbores conscendebant periculum declinare tentantes, vel modò puppim, modo proram versus aufugiebant inimici ignis furias ibi non expertuti falsò iudicantes, ilios morientes, hos in mare, si fortè natatu ad vicinas naues peruenire posset, sese proijcientes conspicientium, denique mille alias rationes admirantium, quibus animalcula præsentem euitare moliebantur, sed in cassum. Si ergo in putrem nauium harum materiam dispersam dispositio genita est ad tot murium generationẽ sufficiens ab agente æquiuoco, quid impediet concurrentibus simul pluribus æquiuocis causis tot dispositiones, ac tales in debitam materiam produci posse, vt ex ea perfectissimum animal procreetur? Quænã enim ad perfectum animal prærequisita dispositio dari potest, qua perfectiorem, & perfectiorem non possint naturales æquiuocæ causæ in materiam introducere? hac autem facta perfectior, & perfectior, forma ab agente vniuersali in eandem materiam producetur necessariò. Quartò probatur auctoritate

4. Auicennæ, qui libro de diluuio ait aliquando vitulum in secunda regione aeris generatum cum

pluuia pluisse, aitque animalia imperfecta ex putri materia generari in leuioribus, ac minoribus inundationibus, perfecta verò in diluuijs maximis, vt puta Deucalionis, & similium, quòd probabilitate nõ caret. Nam si in minimis inundationibus potest disponi materia ad formam imperfectam, quæ præuias dispositiones paucas in materia prærequirit, consonum est perfectiora animantia posse produci in magnis diluuijs, in quibus materia ob plura adiũcta meliùs potest disponi. Imò hoc pacto ex putri hominem ipsum posse generari idem auctor deducere est ausus, licet falsò mea sententia, vt infra. Neque verò perfectis animantibus ex hoc infertur iniuria, sed tantum omnipotentiæ primæ causæ in hoc admirabilior apparet, quippe quæ ad eundem terminũ multis rationibus nobis imperspectis possit peruenire, cum potissimũ huiusmodi animantium formæ, licet perfectæ, ex materiæ potentia educantur. Quòd si in aere ferrum, & æs genitum est aliquando referente eodem Auicenna, & in Perside ænea corpora instar sagittarum durissima pondere librarum quinquaginta è cælo iacta sunt: & in Hyspania lapis ingens metallorum venis distinctus ex historiarum monumentis nõ multis ab hinc annis cum pluuia item decidit; quid impedit eodẽ in loco animalia perfectiora generari pluribus concurrentibus circunstantijs? Deniq; circa Olyssiponem oppidum in Lusitania flante Fauonio equas obuersas animalem concipere spiritum, idque partum fieri pernicissimum testatur Plin. lib. 8. nat. hist. cap. 42. Admiranda enim est natura, vt in alijs, ita & in generatione rerum omnium. Multa præterea sunt ex iam allatis, quæ nisi quotidiana experientia fieri videremus, nunquam adduci quis posset, vt crederet.

Animantia per artē gigni possunt.

Cum satis abundè cō stet perfecta animalia irrationalia ex putri materia, etiā sine naturæ iniuria gigni posse, non video quid obsit, cur eadem per artem, cui naturæ imitatio proposita sit, effici nequeant. Licet enim id experientia tentare sit nefas, hoc tamen si aliud non obstet, nō conuincit fieri nō posse. Imò volunt aliqui per artem extra fœminæ vterum produci hominē posse, quod tamen nos falsum esse infra probabimus, licet ex putri materia id nullo modo admitti posse mihi videatur, quia tot sunt organa, tam varia complexione prædita, tantā in vicinia tàm diuersis qualitatibus affecta, vt profectò cōtingere non possit disponi materiam talem ad formæ rationalis introductionem. Requiritur enim caro calida, & humida: nerui frigidi, & sicci: ossa, cartilagines eiusdem temperamenti, quatuor humores diuersas qualitates habentes: cerebrum frigidum, & humidum: cor calidum, & siccum: caput, in quo plures musculi, ossa, venæ, nerui, arteriæ: spinalis medulla tàm varijs instrumentis concinnata; generationis organa tàm admiranda: tot alia membra, tot partes, tam aptè connexæ antequàm forma substantialis à Deo infundatur, vt nullo pacto, vel in maximis, quæ vnquam fuerint diluuijs inuenta hæc omnia fuerint. Artem verò naturæ processus, & motus aduertentem, & imitatam, alia ratione id posse efficere multi falsò contendunt, asserentes id præstitisse amicum illum Iulij Camilli viri doctissimi, qui puellulum in diplomate vitreo viuum efformasse ab illis dicitur, quanquam diù viuere non potuerit, si credimus eidem Camillo, & Thomæ Garzonio suæ vniuersalis platææ cap. 41. Sciendum est autem vterum fœmineum semini virili calorem solum communicare, vt fiat embrio; nulla enim da-

Homo p artem gigni potest secūdū quosdam.

Reprobatē hæc opinio.

Eandem opinionem alij defendunt.

Experiētia.

Vterus est merū seminis receptiuū in generatione.

tur

tur in vtero potentia formatiua, qua ex ſemine embrionem faciat, ſicut abſurdum eſt terræ eandem vim concedere, qua ex puſillo ſemine plantam maximam formet. Ingenitā autem vim habet ſemen, qua fotum calore alieno, ne natiuo deſtituatur, in hominem tandem erumpat infuſa ſibi à prima cauſa forma ſubſtantiali. Cum autem huiuſmodi calorem habere poſſit ſemē à multis cauſis, hominem etiam multis modis fieri poſſe, puta in ventre bruti, in diplomate vitreo, & alijs huiuſmodi locis putant multi. Quod quomodo ſit falſum patebit ex dicendis. Hinc cum tùm ſemen viri, tùm fœminæ, ideſt agentis, & patientis concurrere poſſit ad generationem fętus, licet ſolum virile ex neceſſitate requiratur ex rectè philoſophantium ſententia, patet quomodo fętus per illos gigni poſſint: nam ſi homo puta cum equa coeat, ita vt equa ſemen non effundat, vir gignetur ex equa nihil ſeminis ad corporis fabricam matre communicāte, ſi veró tùm ipſe vir, tùm equa ſemen eiaculetur, fiet ſemiuir, ex viro, & equo tertium quoddam: vir autem cenſendus erit, ſi organa in quibus præſertim rationalis anima ex neceſſitate reſidet, & ſine quibus corpus informare non poteſt, ſint hominis; ſecus, ſi iſta equum referāt: vt hinc Medici ſciant ferre iudicium in huiuſmodi monſtris, non baptiſmatis fonte lauanda ſint: aliquando enim hæc contingunt, vt infra videbitur; imperitis impotentia, vt ſubſit periculum, ne quis dignus baptiſmate, ſine illo ſtatim pereat, & Dei viſione priuetur, quod accidere non poteſt ſine maximo Medici aſſidentis piaculo. Nonne pullus ex ouo excluditur fornacibus Cayri, cinerum calore, fotu ſub axilla non ſecus, ac gallinæ incubantis auxilio, vt mirum non ſit virile ſemen ad actum multis mo-

In coeuntibus diuerſis ſpecie q fœtus gignantur. Monſtra num ſpeciei humanę ſint quomodo ſit cognoſcendum.

Rationes probātes opinionem.

dis posse adduci. Cum itaque fœmineum semen ex necessitate ad generationem embrionis nō concurrat, vt infrà, quid est causæ cur ex semine virili solo in loco debito homo non possit generari? Verum quidem est ad hunc finem difficillimè posse quemuis peruenire, fieri verò artis viribus non posse, rationi non esse consentaneum multi volunt. Atque vt clariùs tota rei huius series innotescat, addunt & alia multa animantia simili, vel diuerso artificio produci posse. Nam si auis quælibet viua in diploma vitreum indatur, & igne validissimo ibidē in tenuissimum puluerem redigatur, qui puluis postea in fimo equino perfecta putrefactione in phlegma mucillagineum reducatur, tùm idem phlegma in conceptaculo reponatur, ex quo exclusa priùs fuerat auis, renouabitur eadem artificio spagyrico, non secùs, ac Phœnix ab alia natura. Addo & aliud naturæ miraculum: si menstruus sanguis in cucurbitam vitream indatur, & in fimo equino putrefiat, hac sola operatione Basiliscum gigni certo certius est. Nulli tamen auctor fuerim huius experientiæ, qui vitæ suæ consultum velit. Qua in re videre est admiranda naturę prodigia: nam Basiliscus solo visu homines interficit, id autem fit ex naturæ suæ sympathia cum menstruo sanguine muliebri, cuius virus mulier effundit præsertim per oculos, licet per totum corpus etiam dilabatur, quanquam non ita perspicuè. Sic specula visu mulier menstruata coinquinat, sic vlcerum curam protrahit, sic vinum, quod tractat, reddit pendulum, acetum euanescit, benecolentia ab huiusmodi mulieribus, vel gestata, vel manibus tractata, vitiata suauitate, contracta quasi contagione, suaueolentiam deponunt, vt ambra, vt moschus: sic coralli, sic gemmæ colorem vi-

Auiū generatio artificiosa.

Basilisci artificialis generatio.

Sympathiæ admirabiles inter basiliscū, & sanguinem mēstruum.

uidum,& naturalem immutant,vt mirum non ſit ex tanta impuritate tàm pernicioſum animal proficiſci. Adde artificio muſcas, & ſerpentes emortuos reuiuiſcere, vt poſtmodùm dicemus; ex putridis lignis anates procreari,& alia ſimilia,ex quibus argui congruenter poteſt etiam perfecta animalia, quæcunque poſſe fieri,& vlteriùs multò faciliùs aurum, & quem vocant lapidem Philoſophorum. Sed ad maiorem rei ſuſceptę explicationem,placet hoc loco examinare,num viuentia omnia determinatum ſortita ſint vterum, in quo ita generentur, vt extra illum nequeant produci. Ita enim fiet,vt clariùs intelligatur, num homo ita debeat in fœminæ matrice generari,vt intra conceptaculum propriæ ſpeciei neceſſariò ſit generandus, extra quod non poſſit. Qua in re expendendum eſt ad hoc, vt homo ritè formetur,neceſſarium eſſe ſemen maſculum probè diſpoſitum,& congruè elaboratum, vt deſignatum à natura finem poſſit attingere. Hinc enim fit, vt corpus benè, vel meliùs diſpoſitum conformetur pro ratione diſpoſitionis, quæ in ſemine reperiebatur. Verùm ſi ſemen vitietur,quod contingere pluribus de cauſis poteſt, præſertim ex ſemine imbecilli,vel alia ratione inquinato recipientis fœminæ,vel ſanguinis mẽſtrui alienis qualitatibus, vel etiam ob innaturales vteri diſpoſitiones, tunc ſæpè fit,vt effectus productus cauſæ noxam repræſentet; impedita enim ſeminis facultas non poteſt in effectum erumpere, qui eſt animal rationis capax organis cõgruis præditum,ſed in gradu inferiore conſiſtit,& vel animal ſenſibile duntaxat progignit, vt videre eſt in monſtris, & ex dicendis patebit, vel corpus vitam viuens duntaxat vegetatiuam, quod in mola ſæpè videmus,vt docuit Ariſtoteles lib.4.de generat. ani-

Quęſtio num viuẽtia habeãt vterum determinatum ſuæ generationis.

Ad generationẽ requiritur ſemẽ probè diſpoſitum

Vitiato ſemine non producit homo, ſed quid in gradu inferiore conſiſtẽs

mal. cap. 7. quæ omnia inde luce clariùs elucescunt, quòd forma gignitur pro ratione dispositionũ, quas agẽs in materiam introduxit. Nec enim potest anima rationali animari materia cum dispositionibus ranæ, vel hædi. Præterea multos morbos ex semine retento contrahi testantur Medici omnes cum Galeno de loc. affl. lib. 6. cap. 5. & Aristot. lib. 1. de generat. animal. cap. 18. circà finem; est enim excrementum, & potest varijs modis in corpore alterari, indeque corpus alterare, & ad mortem etiam adigere, vt ibidem docet Philosophus. Quòd si hoc in semine vno duntaxat potest contingere, sanè multò magis in diuersis id fiet seminibus commixtis. Adde mixtionem menstrui sanguinis, de quo tam mira ab auctoribus enarrantur, & iam nõ difficilè intelliges semen sexcentis modis more Prothei posse variari, seu alterari. Qua varietate, vt multorum morborum specie, genereque differentium causa esse potest, ita etiam formas specie diuersas recipere, vt nõ semper eiusdem speciei indiuidui pars sit materialis, vt iam exemplis constabit euidentissimis. Et hæc quidem conformia sunt Aristotelicę disciplinæ, qui quod ginni ex equo, & asino generentur, causam refert in genituram in vtero vitiatam, sicut & metachœrorum in porcis, quibus persimilis est Pygmeorum generatio, quorum magnitudo ex vitiato in vtero semine vitiatur. Si enim hoc vitium augeretur ita, vt in eo semine sic affecto dispositio ad receptionem humanæ formæ deesset, quid ex eo fieret? profectò vel aliud quodpiam animal, quod tot dispositiones præuias non requireret, vel viuens aliquod duntaxat. Sed iam id quæro, num fœminę semen ad generationem cõcurrat fętus. Si cum multis Peripateticis neges, habeo intentum, vterus enim

Semẽ malè affectũ est causa morborũ, & fetus prauè dispositi.

alimentum solum, & conceptaculum masculo semini præstabit:ex quo fiet,vt cum alimentum semini offerri possit in quocunque alio vtero, in quocunque etiam vtero quodlibet animal gigni possit. Si dicas fœminæ semē ad fœtus generationem cum masculo concurrere; ergò ex semine vnius speciei animal differens specie potest progigni, cum cōstet vt infrà ex Delrio natos sæpè fuisse homines ex hominis cum bellua congressu. Quin etiam in fœminis ex congressu viri animalia fœda irrationalia genita fuisse mox concludam: vt propterea ex hominis semine omninò facta fuisse asserendum sit; ex quo idem colligi posse nemo non videt. Si ergò semē multas alterationes passum in eodem vtero differentium specie animalium causa esse potest, cur nulla alteratione motum,nullo inquinamento commixtum in diuersis conceptaculis idem specie animal non poterit efficere? vis enim formatrix talis indiuidui speciei in semine sit necesse est, non in vtero, itaque vbi semen erit, ibi hæc facultas erit, quæ non impedita ab extrinseco idem specie animal formabit. Atque ea quidem, quæ hactenus dicta sunt ex obseruationibus Medicorum apertissimè cuique possunt constare, qui non proteruè opinionibus potiùs, quàm iurè meritò rationibus velit assentiri. Etenim ancillam inter initia belli Marsici serpētem peperisse testatur Plinius nat.histor.lib,7.cap.3.ergò vna animalis species in vtero alterius speciei generari potest, ergò semen vnius speciei ad generationem differentis specie concurrere potest; sit enim conceptus concurrēte necessariò virili semine tanquàm agente,& materiali etiam principio. Coiuisse namq; hanc ancillam cum serpente non est probabile tùm terrore, quo inhorrescimus solo huius-

Experiētia probat animalia nō habere determinatū vterum suæ generationis.

modi

modi brutorum visu; tùm quòd apta ad eiaculandum semen in vuluam fœminæ ferè non habeant instrumenta, tùm attenta ratione coeundi serpentium, quàm explicauit Aristoteles lib. 5. de histor. animal. cap. 4. & lib. 1. de generat. animal. cap. 7. Itē à fœminis edita fuisse animalia ranis similia, quæ in ranarum ex æquiuoca causa genitarum specie non dubito quin sint collocanda, tradit Amatus Lusitanus, quod de Virginibus nunquam legimus. Petrus Forestus molam vidit rotūdam, multos oculos habentem, quam hominem non fuisse non est quòd demonstrem. Cronemburgius Medicus Coloniensis Bononiæ anno 1538. vidit monstrum instar gallinæ, capite gallinaceo, rostro aquilino, non tamen adunco cum rictibus vtrinque cartilagineis, expressis oculorum locis, licet nō perfectè formatis, apud Forestum obseru. 61. lib. 18. quis hoc hominem dicat, vt & illud Benedicti Veronensis ibidem, nempè confusam carnem, mollem, venosam, cucumeris instar hominis cute obductam, sine corde, iecore, intestinis, ossibus? brutum ergò erit, in vtero tamen fœminæ genitum, ac proinde generationis vterus determinatus nullus erit adstruendus. Alia huiusmodi vide apud eundem Forestum eodem lib. obseruat. 62. & apud Leuinum Lemnium de occultis nat. mirac. Sic Alcippe olim Elephantum peperit, alia Leonem apud Heluetios anno 1278. & anno 1471. alia Papiæ cattum peperit, alia canem Brixiæ, & anno 1531. Augustæ Vindelicorum alia fœmina primo peperit caput humanum, tùm serpentem bipedem, tertio porcum integrum. Et mulier illa Lusitana in Insulam deportata ex cōgressu Simij duos liberos suscepit; Gotthici Reges ex Vrso, & Virgine ducunt originem, & Pegusiani, ac Sianitæ Indi

Aliorū exemplorum congeries.

ex fœmina, & cane ex auctoribus illustribus, quod num fieri possit infra patebit. Andini ex Simijs suscipiunt liberos habentes caput, & pudenda hominis, reliquos artus Simij. In prouincia Angala Inda quædam ex cane tria monstra peperit. In Belgio quidam Vaccæ se commiscuit, ex eaque puer editus est, qui lotus sacro fonte baptismatis Christianæ pietati operam dabat. Quæ videre potes apud Delriũ virum fide dignum disq. magic. lib. 2. quæst. 14. Porrò malè hæc ad Dæmones referuntur, cum naturalissimè fieri possint. Effusum enim virile semẽ, modò ab extrinseco non impediatur, hominẽ edet, itaq; ex Vacca poterit puer nasci, & ex Simio etiam vir perfectus, si fœmina bellua semen nõ effundat, si enim spermatizet, vel monstrum fiet, vel homo aliqua parte belluam referens. Ex muliere autem, & bellua marito non puto nasci posse hominem ex communi naturæ cursu, vt ideò fabulosum putem, quod dicitur de Gotthicis Regibus, Pegusianis, & Sianitis; etenim ex belluino semine non potest homo generari, nam causa equiuoca nobilior esse debet suo effectu, cum nulla causa possit effectui eam communicare perfectionem, quam in se non habet: at ex homine, & fœmina bellua virũ nasci posse certissimum puto, quia agens est semen virile, quod non impeditum in quolibet vtero habili potest hominem efficere: impeditum nihil efficit: alteratum verò in quocũq; vtero, potest efficere quodlibet animal, vel viuens simpliciter, vel monstrum pro ratione dispositionum receptarum in seipso. His, si consequenter loqui volunt, assentiri omninò debent auctores ij, qui censent ope Dæmonum Virginem corpore, & mente posse concipere siue viri congressu sumpto à Dæmone aliunde fœcundo vi-

Ex hominis semine quomodo homo, & quomodo belluã gigni possit.

rili

rili ſemine, in vterumq; Virginis delato, inter quos eſt Delrius diſq. magic. libro 2: quæſt. 15. tunc enim vterus mulieris receptaculum tantùm præſtabit virile fouens ſemen, & ſanguinem menſtruum tanquàm ſeminis virilis alimentum, & fœtus concauſam ex qua. Præterea conſtat apud omnes quod docet idem Benedictus citatus, in Apulia, & agro Piſano multas cerni molas cum partu, vt ibi fœminæ etiam cum fœtu animal ferum pariant, quod Harpyæ forma præditum ſtatim editum per cubiculum volitet, infeſtum roſtro, quo ſæpè partum legitimum antecedentem enecauit. Ad hæc ſemiferos partus naſci ex coitu cum brutis apud Indorum quoſdam docet Plinius lib. 7. nat. hiſt. cap. 2. qui ſiue homines ſint, ſiue belluæ, vel extra ſuæ ſpeciei vterum fiunt, vel non ex ſeminæ propriæ ſpeciei, nec enim duplicem ſpeciem obtinere potuerunt. Vt propterea minùs verum ſit vniuerſaliter acceptum quod apud Galenum libro 2. de ſemine cap. primo docuit Athæneus, nempè quòd à matre in fœtum prouenit totam ſpeciem immutare, nam ſpecies fœtus materiæ ex qua fit ſequitur diſpoſitiones neceſſariò. Id enim ſi cognouiſſet, rationem ſuarum dubitationũ percepiſſet, & intellexiſſet cur Perſica arbor in Aegyptum tranſlata, eſui fructum idoneũ ferat, quomodo ab equa mulus, ab aſina hinnus, & cur ex vulpe, & cane modò canis, modò vulpes gignatur, cur ouis duriore lanitio ex oue, & capro gignatur, & contrà capra molliore pilo ex capra, & ariete poſſit fieri, vincentis enim ſeminis hæc ſequuntur qualitates, vt propterea non ſit neceſſe ſemper eodem modo prouenire. Ad hæc quis poſſet etiam eodem modo ratiocinari de Syrenibus, quos Tritones, ſeu Nereides appellant, & giguuntur tamen

Noua experimenta.

Multorũ problematũ circa generationẽ elucidatio.

De Syrenibus, Tritonibus, & Nereidibus diſputatio.

ex piscibus. Talis apparuit sub Mauritio Imperatore Menæ Præfecto Aegypti in Nilo: virum præseferebat statura maximum, & omninò heroicum, & fœmina post tres dies aspectu honesto ibidem visa est referente Nicephoro cap. 36. lib. 18. historiæ Eccles. Ludouicus Viues apud Battauos hominem marinum suis temporibus apparuisse tradit, qui etiam loquebatur, quod videtur rationalem partem arguere. Vide Petrum Gregor. Tholos. syntag. iuris vniuer. par. 2. lib. 7. cap. 3. alia his similia videre potes apud Alex. ab Alex. lib. 3. genial. dier. cap. 8. & Plin. natural. hist. cap. 9. lib. 5. à quorum enarratione supersedeo. Quamquàm posset quis fortasse cum citato Tholosano dicere huiusmodi animalia non esse rationalia: quod licet probabiliter dici possit, puto tamen probabile esse horum animaliũ aliqua fortasse esse ratione prædita, si organa sortita sunt qualia reliqui homines, loquãtur, vt supra vidimus, gaudeant, plorent, & alia huiusmodi faciant, quæ videntur rationalem animę partẽ arguere. Possem addere de Satyris, qui videntur Sirenes montanæ, cum istæ Satyri marini quodammodo possint vocari, quos esse homines, non belluas ex historia D. Hieronymi in vita S. Antonij confirmari potest. Satyrus enim à Diuo Antonio in solitudine visus, sic illi loqutus est: Mortalis ego sum, & vnus ex accolis hæremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans colit: legatione fungor gregis mei: precamur, vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Si enim hic non fuisset homo rationalis, non postulasset orari pro sua, suorumque salute, nõ gentilitatis errorem agnouisset, qualem inducit D. Hie-

Idẽ etiã docuit Lẽuinus Lẽnius de occultis nat. mir. libro 1. cap. 15.

De Satyrorũ animaquędam.

ronymus cum S. Antonio loquentem. Itaque hi fortasse dicēdi erunt homines in eadem specie atoma constituti, qua nos. At ab his, vt & à Pygmæis minimum distant Sirenes, & Tritones, cum differentia sola notabilis cernatur in partibus inferioribus: itaque omnes probabiliter animalia dicentur rationalia. Dubitat ibidem D. Hieronymus de Hippocentauro, num fuerit Diabolus, qui assumpserit talem figuram ad terrendum S. Antonium, sed de Satyro talem dubitationem non mouet. Quanquam Hippocentaurorum historia non est mera fabula. Tradit enim Plinius ex Claudio Cæsare Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interijsse, & se principatu eiusdem allatū illi ex Aegypto in melle vidisse scribit nat. hist. lib. 7. cap. 3. Sed vt vt hæc sint; neque enim mihi est in animo hac in re aliquid certi statuere, cum viri Sanctissimi, & doctissimi hac de re nihil decreuerint. Satis verò abundè constare putamus ex iam dictis, animalia nullum sortita esse determinatum vterum suæ generationis cum possint in vteris diuersæ speciei generari. Sed his omnibus videtur repugnare Galenus, qui contra Aristotelem contendit quatuor omninò ad fœtus generationem esse necessaria, nempè semen virile, & muliebre, sanguinem menstruum, & vterum. Aristoteles contrà illum multò ante docuerat ad generationem virile semen tāquàm id vnde motus concurrere, nec rei genitæ partem effici, vt quid in ea insitum, sed merum sit ex menstruo semine tāquàm materia hominis efficiens, vt ex fabro, & ligno lectus, aut ex cera, & forma globus, vel vt se habent medicina, & is, qui sanatus est ex primo de generat. animal. cap. 20. Id patere docet ex eo, quòd quædam mascula, in fœminas nullum indūt membrum

Hippocētaurorum narratio nū sit fabula

Galenus hoc docet potissimū in libris de semine.

Semen virile quomodo secundū Arist. cōcurrat ad generationē.

semi-

feminis eiaculatiuum, sed à fœmina potiùs in marem inditur, vt in quibusdam insectis fit, quorum mas non semen, sed vaporem exhalat in fœminam, cum qualitatem genito præstet, non quantitatem. Idem cernitur in piscibus quiparis. Vbi enim fœmina oua ediderit, mas ea semine aspergit, & quæcunque attigit, fœcunda efficiuntur, quæ non attigit, remanent infœcunda, vt inde colligat merum efficiens esse semen maris. Et his similia sæpè alibi docuit. Fœminas nec semen conferre, nec emittere ad generationem docuit eodem libro cap. 19. cũ multę concipiant sine voluptate, quòd fieri nõ posset, si semen titillationis causam effunderent. Idem tradit cap. 18. & 20. eiusdem libri. Quanquàm visus sit aliud docuisse cap. 4. lib. 2. de generat. animal. vbi tradit ab hominis genitura, & fœminæ excremento ita fieri hominem, vt lactis coagulum, cũ hac coagulatum, ex lacte, coaguloque tanquàm ex materia constet, coagulum enim lactis partes similes ducit eòdem, vnit, atque constituit. Imò Galenus inconstantiam Aristotelis taxat lib. 1. de sem. cap. 12. quia, vt ipse tradit, in primo de generat. animal. de seminis substantia disserens cõtrà antiquos, demonstrare nititur ex eo membra geniti effici, cum tamen posteà contendat non ex eo, sed ab eo fœtum ex sanguine menstruo generari. In tanta Medicorum cum Peripateticis dissentione, dico Medicorum rationes conuincere virile semen necessariò concurrere, vt agens, & vt materiam ex qua ad fœtus formationem contrà Peripateticos. Id enim si non esset verum, sequeretur calidissimæ naturæ fœminam citrà viri consuetudinem posse concipere, & Galeni rationes in libris de semine vrgentissimæ sunt, ad quem lectorem pro rei huius confirmatione remit-

Rationes Philosophi. Arist. in hac materia videtur sibi cõtrarius.

Semẽ virile quomodo cõcurrat ad generationem.

to, nec id fusiùs prosequor, cum iam apud omnes recepta sit hæc opinio. De fœminarum semine sic statuo, malè à Peripateticis dictum esse nunquàm à fœminis semen effundi, cum eflatum hoc sensui repugnet apertissimè. Dico tamen probabile esse fœminarum semen non esse semen absolutè nuncupandum, sed propriùs vocari humiditatem quandã proportionalem semini, quod inde patere potest, primò, quia si semen habent, ex quo tanquam ex materiali principio cum virili semine fiunt partes spermaticæ, cur ex eo solo non possunt etiam fieri? Nam semen ex Philosopho 4. meteor. cap. 4. debet posse efficere tale alterum, quale illud est, ex quo deciditur, cum tamen nulla fœmina suo semine aliã fœminam, vel hominem procrearit, imò nec vllum ferè viuens. Si ergò verum semen fœminæ habent, cur in Virginibus molæ, & monstra non notantur? Nec mihi quis suspectas obtrudat Virgines, dico enim in Virginibus non videri molas, licet sanguinis aliqua affusio ex menstruo sanguine solo procreata, qualia sunt viscerum parenchimata, in earum vterò gigni possit. Quòd si ex illarum semine non posse fieri partes spermaticas dicas, iam in eadem naui escum Aristotele, id enim tantùm Philosophus intendit, earum nimirùm semen humiditatem esse infœcundam. Ad hæc si semen fœminæ effundunt, vt virorum prolificum, maximè spumosum, &c. cur coitu non æquè, ac viri debilitantur? Semen ex spiritu vitali potissimum fit, eiusque effusio plùs debilitat, quàm si quadragies, secundum quosdam, tantundem sanguinis effunderetur, quomódò ergò verum erit semen fœminarum? viri quos legitimum semen fundere apud omnes constat sæpiùs coire interruptè non possunt: Fœminæ

De fœminarum semine qd sentiendum.

Fœminarũ semen non est propriè semen.

Rationes id cõuincẽtes

Alia ratio noua.

verò, vel quadraginta viros, lassatæ potiùs, quàm satiatæ excipient, qua in agitatione sæpissimè suum semen effundent, & tale semen, quale est virorum prolificum,& legitimum semē existimabimus? Testis est Mizaldus Taurini fœminam quandam Allobroges triginta sex absque interruptione rei Venereæ dātes operam sustinuisse innocuè. Noui mulierculam triginta octo Gallos milites absque interposita mora excepisse cum leui duntaxat in fine certaminis animi deliquio. Messalina prostitutæ pudicitiæ ancillam die vno, ac nocte, quinto, & vigesimo concubitu superauit, vt retulit Plinius nat.hist. lib.10. cap. 63. Quoties pollutæ? quantum seminis confecisse iudicabimus? cuius vel robustissimi viri vires tantum congressum,tàm longum,tàm dispendiosum, tàm continuatum nulla interposita quiete pertulisset? Quis ergò mollem mulierculam, miserè,& tenuiter enutritam ad tantum bellum imparatam, cum tanta, quanta probabiliter credi potest congruere tot dimicationibus,spermatis emissione tandiū durare potuisse sibi persuadebit? Maneat itaque probabile valdè esse Peripateticorum Principis opinionem,& fœminarum semen omninò nō esse necessarium ad hominis procreationem, imò nec semen verum, & prolificum, nec principium actiuum, aut passiuum necessariò generationis esse iudicandum. Quòd enim Hercules quinquaginta Virgines vna nocte stuprauerit: quòd Proculus Imperator centum Virgines quindecim dierum spatio grauidas fecerit: quòd Catalanus ille ex Iacobo Cijo Episcopo Ilardensi apud Andream Tiraquel. in 15. legem connubialem num. 1., qualibet nocte cum vxore trigesies concumberet: quòd Polemon Ciliciæ Rex toties vxorem Beronicem agnosceret, Prodigiosæ hominum luxuriæ exempla

vt

vt ipsa illum ideò repudiare sit coacta, quodq; horũ omnium semen verum, legitimum, & polificum esset, non probat etiam fœminarum semen esse prolificum, legitimum. Vt enim in natura, ita & in Medicina monstra aliquando videmus. Viri isti pauci fuerunt Salomonis consimiles, & præter hos paucos alium fortè inuenies neminem: at fœminę multò viris imbecilliores, & inter eas quæ languidiores, ac frigidiores, venerisque minùs appetentes illud faciunt, saltem possunt, & si ferat occasio perferunt vt Tiraquel. & experientia docet. Ex quo euidenter rerum æquo æstimatori patere poteſt talẽ profusionem non esse seminis legitimi, & ex spiritibus vitalibus confecti, quorum tantam, & tàm subitam effusionem, vel robustissima natura ferre non possit. Sed vt vt sit, siue legitimum, siue infœcũdum sit hoc semen, & liquor duntaxat semini virili proportione respondens, non puto admittendum esse huiusmodi semen ita necessariò requiri ad generationem, vt hæc sine illo sequi nullo modo possit; quod contendit Galenus libris citatis, sed dico posse concurrere, ita tamen, vt necessariò nõ concurrat. Primò quidem, quia sine voluptate sæpè fœminæ concipiunt, quod & Auerroes testatur (nec est figmentum, vt quidam contendunt,) & adhuc nobilissimæ matronæ reperiuntur, quæ constanter affirmant se concepisse sine vlla titillatione, & medicos admirari, qui id fieri non posse contendant, quod in se ipsis sunt expertæ. Mitto hic de industria, quæ ab auctoribus hac de re fusiùs disseruntur. Sic commodè soluuntur omnia, quæ tùm contrà Galenum, tùm contrà Aristotelem multi obijciunt. Hic tantum affero Galeni rationes lib. 1. de semine cap. 7. & cap. 4. libri 2. vbi hos vsus seminis fœminei agnoscit, ex

Semen fœminarum non est necessarium ad generationẽ fœtus.

Galeni rationes pro necessitate fœminei semini.

quibus illius necessitatem colligit ad conceptum. Primò enim necessarium est semen fœminæ, neque enim fieri potest, vt omnes vteri partes virili semine oblinantur, quippè cum id rectа eiaculatione per vteri ceruicem in fundum, proximasque partes delatum, reflecti in latera vsque ad eius cornua nullo pacto queat cap. 4. libri 2. de sem. sic cum nō possint omnes vteri partes oblini semine virili, fœmineo oblinantur, & hinc etiam est, quòd vtrunque vteri cornu seminarium vas habet ex fœminæ testibus procedens ex lib. 1. de sem. cap. 7. Secundò, quia fœmineum semen alimentum est idoneum masculini, vtpotè frigidius. Tertiò membranam tenuem, quæ fœtum ambit complectens toti vuluæ annectit. Quartò, quia ex fœminino semine fit inuolucrum intestinale, idest membrana, quam allantoidem vocant, hæc enim ex seminarijs fœminæ vasis dependet. Quæ rationes Galeni, vt probant semen fœmineum nō esse inutile ad generationem, ita eius necessitatem non conuincunt, ex quo inferò frustra vasa spermatica in fœminis non esse facta, cum semen possint suppeditare ad ea; quæ dicta sunt, licet non necessarium valdè tamen opportunum. Et quidem prima ratio necessitatem illius non arguit, quia si conceptura sit mulier, semen virile multum sit necesse est, vt tradit idem Galenus primò de sem. cap. 4. itaque & fœtum potest ex se producere, & vteri latera oblinere; quid enim mirum est hoc, si pusilla semina maximas arbores videmus efficere. Nec secunda ratio Galeni probat intentum; nam sanguis menstruus ex orificijs venarum vteri attractice seminis virilis illectus, quippè eodem semine frigidior, aptum semini præstare potest alimentum. Adde quòd semen alimento non indiget, nisi pro

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quid cō cludant rationes Galeni.

Responsio ad primam rationē Galeni.

Ad secūdam.

alimento intelligas materiam aliquam, ex qua cum ſemine fœtus fiat,& hoc modo, & ſemen fœminæ poteſt eſſe ſeminis maris alimentum, & neceſſariò ſanguis menſtruus, nam quæ non purgantur non concipiunt. Nec tertia ratio vrget, quia vterus virilis ſeminis appetentiſſimus eſt,ideò ad id vltrò accurrit præſertim in coitu incaleſcens. Quarta denique ratio non concludit, quia ad faciendum membranam allantoidem ſufficit ſemen maſculum cum ſanguine menſtruo,in quo potentia fœminæ ſemen continetur. Si enim fœminæ ſemen cum maſculo effuſum miſcetur, quomodò potius ex fœmineo, quàm maſculo membrana illa conſtituitur? quis vnum ab alio ita ſeparat,vt maſculi ſeminis nihil ad allãtoidem concurrat? His ſatis mihi videor oſtendiſſe determinatum vterum ſuæ generationis non habere animalia,& ſemen maſculum ex neceſſitate tantùm concurrere ad fœtus generationem, non fœmineum, ex quo quidam inferunt per artem parari poſſe conceptaculum,quod ita foueat virile ſemen, vt id poſſit in actum ſecundum erumpere extra matricem fœminæ. Quòd ſi quis objiciat hominem hoc modo per artem genitum ſine fœminæ concurſu nõ habiturum peccatum originale, quare nec indigere Chriſti redemptione, quod eſt nefas dictu,falſum eſſe aſſeuerant; gignitur enim dicunt, vt alij talis homo, licet non vbi alij, cum locum arte parátum ſortitus ſit pro vtero materno. Cæterũ fit ex ſemine virili, & nutritur ſanguine menſtruo, vt alij, vel alio bono ſanguine. Ita portò huius abſurdæ ſententiæ defenſores ratiocinãntur. Deus non ſecus infunderet animam in hoc corpus, ac in pueri corpus, qui in Vaccæ vtero conceptus eſt in Belgio, de quo ſupra, & in alia omnia, in quæ vbi

Ad tertiam.

Ad quartam.

Obiectio.

Solutio.

adsunt dispositiones organorum requisitæ, formam rationalem informātem creat, & infundit. Et theologicè magis disputando: Adam vniuersum genus humanum infecit suo peccato; quia non tantùm erat indiuiduum humanæ naturæ, sed omnium hominum futurorum principium: nec mandatum habuit à Deo, vt indiuiduum, sed vt totius humanæ naturæ stipes. Ad hæc innocentiam, & immortalitatem, & pro se susceperat, & pro suis; quare innocens, & immortalis, immortalem hominem genuisset, & innocentem. Quia ergò Dei mādatum transgressus, tanquàm principium hominum iustitiam amisit, hinc est, quòd qui ab Adamo seminaliter descendit, qualis esset hoc modò genitus homo, originali etiam iustitia priuaretur. Originale namque peccatum Adæ sequitur semen; at hoc est semen Adæ. Hæc licet acutè, & subtiliter ab huiusmodi Philosophis disputentur, & ex rerum natura petitis rationibus quoquomodo confirmari videantur, subsistere tamen non possunt. Quòd autē falsa omninò sint inde patere potest. Primò quia talis hominis generatio scelus maximum haberet annexum, seminis nempè effusionem extra vas à natura ad id destinatum, ergò nullo pacto hominem decet Christianum hæc ratio philosophādi. Deindè quia hoc modo generans hominem vteretur medijs à natura nullo pacto ad talem finem consequendum ordinatis; si enim natura id intendisset, frustra fœminam ex Adæ costa fabricata fuisset, nec seminatio super terram tam acriter à sacris paginis prohiberetur cùm tanta pœna, ergò nulla ratione talis generatio potest admitti in humana specie. Sed ne quis dicat ex his argui posse talem generationem ab homine pio citrà piaculum institui non posse, non ta-

Præcedens opinio de artificiali hominis generatione refutatur.

Rationes morales.

men inde probari physicis rationibus eam non perfici, id etiam vt suadeatur hæc ratio conuincit, quia hominis generatio in vtero hunc in finem à natura constituto, rarò admodum posita virilis seminis effusione perficitur, siue quia diuinum animal non quamuis præparationem expostulat, sed pro ratione suæ diuinitatis admirabilem, siue quia semina tam aptè elaborata, & disposita requiruntur, vt rarò admodùm conditiones omnes necessarias ad tanti operis perfectionem consequantur: siue quia vterus cõceptaculum naturale hominis generandi ad vniuersi ferè corporis sordes, & purgamenta expurganda destinatus more Prothei mille modis, vt plurimùm afficitur, vt rarò admodũ posito semine sequatur conceptus. Quę clariùs ex eo patescũt, quòd multæ fœminæ toto vitę, vel diuturnissimo tempore non concipiunt, quamplurimæ paucos edunt fœtus, multæ paucissimos, paucissimæ multos, puta duodecim, quindecim, ad summum viginti, vt plura monstruosa ferè censeantur. Porrò si hominis generatio tot patitur difficultates in vtero naturali muliebri, quot ibi reperiri dicemus, puta in vitreo diplomate, in quo nec vasa insunt congrua recipiendo semini, nec alimentum ad cõstitutionem, & nutritionem fœtus geniti, nec calor intrinsecus vitalis fouens seminis calorem, sine quo erumpere in actũ secundum non potest? quis in inanimato conceptaculo continuabit eas dispositiones, quæ ad generationem sunt necessariæ? quis augebit alimẽtum pro ratione incrementi, quod fœtus suscipiet? quæ omnia, & alia huiusmodi profectò sola natura indocta nouit, nullusque artifex, vel peritissimus exactè possit præstare? Maneat itaque animalia omnia irrationalia per artem fieri posse, hominem verò in so-

Rationes physicæ.

lo viuentis vtero posse concipi, nec in alio talem generationem licere tentari citrà maximum scelus Dei Opt. Max. maledictione puniendum. Sed hæc satis superque sufficiunt ad ea, quæ hoc libro constituere nobis est in animo.

AVRVM GERMANVM per artem fieri potest.

SECTIO QVINTA.

PRIMA hæc erit conclusio. Aurum verum, & legitimum, naturali nihil cedens per artem Chemicam fieri potest. Antequàm assertionem probemus, sciendum est multis modis hunc finem Chemicos assequi solere. Nam primò herbarum, vel puluere, vel succo super metallum imperfectũ proiecto aurum faciunt. Secundò educẽdo vnum metallum ex alio puta argẽtum ex plumbo, vel aurum ex argento. Quanquàm hęc est potiùs metallorum separatio, quam generatio, licet à quibusdam auri generatio perperàm vocitetur. Alij aquas fixatiuas argenti, & eiusdem tinctiuas efficiunt, quibus argentum in aurum purum commutãt. Et harum aquarum aliæ plùs, aliæ minùs argenti fixant pro cuiusq; vi, ac efficacitate. Tertiò compositione plurimi simul metallorum, addito, vel Elixir, vel alia quapiam re Elixir respondente, quæ possit qualitates intenti metalli alteri metallo, vel metallis communicare, qui modus ferè cum primo coincidit. Et hic dupliciter procedit, nam vel metallum purum, vt argentum catillo cinereo examinatum; vel aurum aqua separationis ad summam absolutionem redactum cum altero metallo, vel re in qua metallum conti-

Proponitur cõclusio affirmatiua. Varię rationes aurum conficiendi. Prima ratio. Secunda

Tertia.

neatur, coniungunt, vt cum cinnabari, vel antimonio, & per artem metallum mixtum augent: vel ex purissimo metallo spiritum educunt separatis elementis, & educto sulphure, ac argento viuo, quo spiritu vtuntur, vel simpliciter, vel addita illi multiplicatione exaltato, eumque proijciunt super alia metalla imperfecta in tali proportione, atque ita metalla perfectissima producunt: qui modus omnium, quotquot hucusque inuenti sunt, difficillimus est, & si habeatur, lucrosissimus. Probandum est ergò hoc loco omnibus his modis, idest siue per spiritum in proiectione aurum fieri posse, quod est facere lapidem Philosophorum, vel alijs etiam modis supra descriptis, vel describendis. Probabimus itaque primò auctoritate, tum ratione. Prima auctoritas est Esdræ lib. 4. cap. 8. vbi hæc habentur verba: quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniã dabit terram multam magis, vnde fiat fictile, paruum autem puluerem, vnde aurum fit: sic & actus præsentis sæculi. Multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur. Vbi vates saluandos comparat, vel cum lapide Philosophorum, cuius nihil ferè est, si cum alijs lapidibus comparetur; vel cum ijs Chemicis, qui ad operis absolutionem perueniunt, qui rarissimi sunt, si cum ijs conferantur, qui stultè operantes oleum, atque operam perdunt. Verùm enimuerò si nulli essent Chemici, qui hunc lapidem facerent, vel si nihil penitùs lapidis huius dari posset, nulli etiam essent saluandi, quod est falsissimum. Secunda auctoritas est Sanctorum Patrum, D. Tho. locis citatis, & lib. 4. meteor. vbi ait: Metalla transmutari possunt vnum in aliud, cum naturalia sint & ipsorum materia eadem. D. Augustinus de Ciuit. Dei, insunt enim, inquit, rebus corporeis per omnia

Principalis cõclusio suadetur auctoritate 1.

Secunda

elementa quædam occultæ ſeminarię rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, & caſualis prorumpant in ſpecies ſuis modis, & finibus: Idem etiam lib. 3. de Trinit. hæc habet: Omnium quippè rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi huius elementis latent. Robertus Vallenſis plura aliorum auctorũ loca collegit libro de verit. & antiquitate artis Chemicæ. Huc pertinet auctoritas Ariſtotelis ſupracitata ex 2. de animal. generat. vbi ſemina abſtruſa ad ſe multiplicandum in metallis reperiri docet. Tertia auctoritas eſt Sybillinorum carminum, quę citantur à Cardano lib. 10. de variet. rerum cap. 52. quorum hic eſt ſenſus. Aiunt nomen eſſe nouem litteris conſtans, ſyllabis quatuor, quarum tres primæ duas tantum continent litteras, reliqua reliquas, ideſt tres. Addit litterarum harum quinque mutas eſſe, quatuor ergò tantùm vocales erunt. Addit numerum ex multis conflatum eſſe 370. quod videbis eſſe verum in hoc nomine [Arſenicon]. ſi v ſemel ſumas. Nam p ſignificat 100. b ſignificat 200. v 50, n denique 20, qui omnes in vnam ſummam collecti 370. conficiunt. Denique concludit non fore virum vulgarem, qui arſenici vim intelligat. Carmina latina ex Græcis facta hic placuit ſubſcribere. Tertia.

Nouem litteras habeo, quatuòr ſyllabarum ſum, intellige me.
Tres primæ duas litteras habent ſingulæ,
Reliqua reliquas, & ſunt muta quinque:
Totius verò numeri centuriæ ſunt duæ, octo,
Et tre ſter decades, cũ ſeptẽ. Intelligens autẽ qui ſim
Nõ rudis, vel ignarus erit eius, quę in me eſt ſapiẽtia.
Tam aperta, tam admirabilis doctrina multis exi-

tio pœnè fuit, qui virtuti arsenici confidentes in legitima metallorum transmutatione, varijs illud modis præpararũt, & multam pecuniam dilapidarunt, proprio exemplo edocti quomodo sapientiam, quæ circunferuntur aliquando in fabulæ speciem arcana mysteria edoceãt. Et multò faciliùs decepti sunt, cum viderent Geberum in summa perfectionis, Albertum, Aristotelem libro perfecti magisterij, Rhasim, & alios eius præparationem edocere ad tincturam. Adde rationes, quæ videntur etiam id probare. Primò quia compositum est etiam ex sulphure, & argento viuo. Secundò quia coagulat argentum viuum vi sui sulphuris, & sympathia sui argenti viui. Quòd argento viuo, & sulphure constet inde colligitur, quia valdè ponderosum est, & inflammabile, hoc quidem à sulphure, illud ab argento viuo sortitum. Ex quibus colligunt optimum esse ad finem artis Chemicæ obtinendum. Sed hi rerum veras causas indagare non possunt, quia cæcutiunt. Primò, quia licèt arsenicum sit maximè penetratiuum, ratione cuius penetrationis tingit æs ad album, licèt non præparetur, sed crudum adhibeatur, vt experientia demonstrat, tamen quia natura eius, & spiritus volatilis est, tinctura illa non potest esse fixa. Quomodò enim fixa esse potest illius tinctura, quod fixari vix potest, vel nunquàm benè fixatur. Si enim fixum esset, profectò tingere tinctura fixa, & fixari non est impossibile, ob principia quibus constat, verùm ob alias eius proprietates vix fixari Chemico cuiuis est notum. Adde quòd est valdè adustiuum, & corrosiuum, quare licèt Sybillinis carminibus, & Chemicorum multorũ auctoritatibus materia lapidis iudicetur, non tamen de communi arsenico loquuti sunt, sed de auro ipso, ac argento, nam vt Villa-

Rationes pro arsenico in compositione artificiali auri.

Rationũ allatarũ solutio.

nouanus ait, Totum beneficium huius artis in Mercurio, Sole, & Luna cōsistit, & vt in Rosario dicitur. Fac Mercuriū ex Sole, & Luna in suo esse sine Mercurio vulgi, sed per viam philosophicam. Nam Mercurius vulgi reijcitur ab hac operatione etiam. Neque enim debemus comedere de filio, cuius mater menstruum patitur, quem si comedis, leprosus eris tu, & opus tuum, sed frustum comede de carne pingui, & habebis aurum, & argentum quantum volueris, vt docet Arnaldus in fine libri primi Rosarij Philosophorum. Ergò qui vt debet Sybillina carmina intelliget, ad intentum Philosophorum perueniet. Quarta auctoritas est quàm plurimorum virorum doctissimorum, qui vel hoc factitarunt, vt posteà probabimus, vel fieri posse docuerunt. Mitto turbam Chemicorum, quæ fortasse suscepta haberetur; quanquam nonnullos ex eis non possum silentio præterire, quòd viri summi fuerint. Huiusmòdi fuit Auicenna lib. de anima dic. 1. cap. 2. vbi ait: si aurum, & argentum non viderem, dicerem quòd non est magisterium, sed quia video, scio magisterium esse verum. Et ex alio Philosopho idem ibidem: qui accipit quod debet, & miscet sicut debet, & quantum debet, exigit quod debet. Idem sensit Vincentius Burgundus, qui res penè omnes doctissimis libris complexus est: Idem Michael Psellus, Athenìensis Callias, qui cinnabarim fecit aurum se putans facturum; Callisthenes, Theophrastus, Aristoteles, & ex V. I. D. Oldradus consil. 74. de sortil. num. 1. Panorm. super. c. ex tuarum de sortil. extr. Ioan. Andr. in addit. ad specul. tit. de crim. falsi. Andr. Isernin. in tit. feud. quæ sunt regalia, Baldus Perusinus in eundem tit. feud. num. 5. Fabian. de monte S. Seuerin. in tract. de

Quarta auctoritas pro principali conclusione.

empt. & vendit. quæst. 1. num. 8. Albericus de Rosate in Diction. verbo Alchimia; & verbo Emptio. Albertus Brunus in tract. augment. & diminut. monet. in prima præsupposit. num. 13. 14. Guido Papa in singular. 388. §. de his. Ioannes de Platea in l. 1. ca. ad R. C. de argent. precio, quod Thesaurus infert l. 10. contra B. Angelum de Clauasio in summa contrà sentientem verbo Alchimia, contrà quem scripsit Hieronym. de Zanetinis in c. 1. ex. de accusat. Thomas Arfoncinus in responso de iure Alchemiæ, qui omnes censent aurum arte naturali, etiam sine magisterio Dæmonum fieri posse. Iam venio ad rationes, quarum aliquæ sunt nostræ, aliæ petitæ ex auctoribus vel supra citatis, vel infrà citandis, ne moram argumentis faciam, aut tenebras inducam illorum nomina ijs interserendo. Primò nihil repugnat, quominùs aurum fieri possit per artem, ergò verè potest fieri. Probatur antecedens. Nam non repugnat ex parte materiæ, quia hæc est in potentia ad quamlibet formam: non ex parte formæ, quia forma auri est materialis, vt reliquæ aliorum viuentium, excepto homine, ergò vi naturalis agentis potest in disposita materia produci: nec denique ex parte modi, quia modus, quo auri, vel argenti forma introducitur est maior, vel minor decoctio in tali proportione primarum, & secundarum qualitatum, at hic non superat naturæ vires, ergò nec illas superabit auri productio. Secundò, quia contrariæ sententiæ auctores nulla habent argumenta conuincentia, vt nos, qui infinita propemodùm afferre possumus, ergò contraria sententia non est admittenda. Antecedens probatur, quia dum imperfecta metalla in argentum, vel aurum mutantur, sola fit accidentalis mutatio, & colligitur ex dictis sectione

Prima probans aurũ verum per artẽ fieri posse.

Secunda

secun-

ſecunda,ergò inſpecto naturę proceſſu non tantam inuoluit difficultatem auri faciendi ars, quantam aduerſarij putant. Præterea metalla viuunt vitam vegetatiuam, & potentiam habent generatiuam, quid ergò impedit quominùs per artem ſemen, vel ſpiritus generatiuus eidem ſimilis à toto corpore ſeparetur, qui ritè applicatus imperfectis corporibus, eadem in perfectum corpus tranſmutet? Præterea animalia omnia irrationalia per artem poſſunt) fieri, ergò per eandem multò magis viuentia omnia vegetabilia tantùm poterunt produci, quippè quæ non habeant organa ita elaborata, vt ſenſitiua viuentia. Hæc patent ex quarta ſectione,& multò magis concedenda ſunt ijs,qui metalla volunt eſſe inanimata;ſi enim animata per artem fiunt,quid repugnabit per eandem inanimata etiam produci? Tertiò ex D.Auguſtino Magi cum in angues virgas mutarunt naturalibus tantùm viribus ſunt vſi, at hoc maiorem arguit potentiam, quàm metamorphoſis metallorum, ergò & hæc per Chemiam fieri poterit. Minor probatur,quia in illa mutatione exſtipite factus eſt anguis ſubito mutatione ſubſtantiali, at hic eſt ſola mutatio accidentalis,quia formæ metallorum non differunt ſpecie, vt ſupra probatum eſt, & multo vt plurimùm tempore fit,diuturnoque labore ignis,ergò &c. Quartò certum eſt Dæmonem vi propria quoduis brutum producere poſſe extra matricem communem applicando actiua naturalia paſſiuis, ergò & poterit aurum producere, ergò auri productio naturæ vires non excedit; quæ enim naturę vires ſuperant non ſubijciuntur Diaboli potentiæ,quippè,qui nō poteſt miracula edere. Quintò Sol, ſiue quæuis alia ſit metallorum cauſa, in viſceribus terrę medio calore naturali metalla produ-

Tertia.

Quarta.

Quinta.

cit, ergò & homo eodem vsus calore poterit eadem generare: nam calor noster eiusdem est speciei cum calore Solis, ergò & poterit ex vno imperfectiore aliud perfectius producere, cum adhoc necessaria tantùm sit vlterior concoctio, quę calore perficitur. hoc autē apertè patet ex eo, quòd continuè metalla in subterraneis locis generātur, nec enim genita om nia sunt ab initio mundi à Deo, vt ineptè quidam voluerunt, contrà quos disputat Agricola de ortu, & causis subter. lib. 4. fol. 63.

Sexta. Sextò, quoniam metalla sunt eiusdem speciei, differunt tantū in hoc, quòd quædam sunt pura cocta, vt aurum, quædam pura, sed minùs cocta, vt argentum, ergò argentum ab auro differt penes maiorem, vel minorem concoctionem, ergò si vlteriùs vi caloris naturalis, vel naturali similis concoquatur, aurum fiet, nam ex hac concoctione etiā aliæ qualitates auri argento communicantur, vel differunt in hoc, quòd cocta quidem sunt, sed valdè impura, quale ferrum est, & æs, ergò ista eiusdem caloris vi, cuius proprium est heterogenea separare, & homogenea congregare, purgari poterunt, & ad nobiliorem speciem reduci: vel denique differunt in hoc, quòd alia sunt cruda, & impura, quale est plumbum, & stannum, & hæc eodem calore coquntur simul, & purgantur, & perfectiora metalla fiunt, ergò à primo ad vltimum dari potest ista metallorum metamorphosis.

Septima. Septimò, si loquamur de materia proxima, non remota, metalla omnia constant ex sulphure tāquàm quasi forma, & Mercurio tanquam materia, ergò parua admodum est inter illa differentia, ergò per artem solertem tolli hæc poterit.

Octaua. Octauò natura semper intēdit in omni sua actione, qu od perfectissimum est, vt hominis generationem, auri productionem, ad

quam cum non poteſt pertingere, imperfectioribus contenta eſt, vt fœmina, vel alijs metallis, ſic embrioni in vtero matris primò dat eſſe, tùm vegetare, poſtmodùm ſentire, denique facultatem intelligendi, quæ prima fuerat in intētione, licèt vltima in exequtione ex circunſtantijs adiacentibus: ita etiam ex hydrargyro facit, vt ſuprà diximus, ex quo primo metalla imperfectiora producit, ſenſimque ad perfectiſſima aſcendit, ergò illam imitando ars idem poterit efficere. Nonò per artem ferrum malicorio tranſit in chalybem, æs, vt ſupra diximus, argenti colorem aſſumit, & ex plumbo, ac ſale armoniaco per artem argentum viuum fieri poteſt, ergò ſicut perfectorum metallorum quædam accidentia imperfectioribus ab arte vulgari facillimè communicantur, ita difficiliori negotio, maiore artificis induſtria etiam aliæ qualitates eorundem perfectorum metallorum imperfectioribus poterunt impartiri. Sic Albertus lib. 3. cap. 9. in hoc ait Chemicos non ſecus facere, ac Medici, qui pharmacis purgantibus corpora cacochimia liberant, tùm corroborātibus naturam roborant, vt morbi reliquias conterat, & ſanitatem ſibi comparet. Ita illi primò purificant argentum viuum, & ſulphur proprium intenti metalli, tùm virtutes eius ſeparant, ac confirmant, vt poſſit illius natura arte adiuta in actum ſecundum erumpere, ac ſibi ſimile producere. Decimò facilior eſt mutatio accidentalis, quam ſubſtantialis, at multa viuentia naturaliter mutantur in alia viuentia diuerſæ ſpeciei, ergò faciliùs mutabuntur metalla imperfecta in alia perfectiora, quæ nō ſunt diuerſæ ſpeciei. Imò etiamſi differrent ſpecie, argumentum conuincit per artem illa mutari poſſe. Minor probatur, quia multi vermiculi in volatilia ſpecie

Nona.

Decima.

Huius cōfirmatio 1.

2. diuersa conuertuntur. Secundò triticũ, & siligo in-
3. uicem mutantur ex Plinio. Tertiò lolium etiam
4. sæpè naturam tritici asciscit ex Theoph. Quartò
5. Platanus in oleã mutatus est ab Herodoto. Quintò
ex tinea eruca fit, ex hac papilio, & ex Sisymbrio be
6. nè culto sæpè fit menta Theophrasto. Sextò ex ali-
quibus plantis industria plantæ aliæ fiunt nunquam
7. visæ Mirandulano. Septimò filix, & vlmi frondes
8. sæpè in tophum conuertuntur. Octauò cespes quo-
rundam fontium aquæ vi sæpè naturam induit lapi-
deam. Quis neget mutationes has ferè omnes esse
viuentium in alias species viuentium? quæ si dãtur,
vt notum est, quis accidentalem metallorum muta-
Vndecima. tionem negare audebit? Vndecimò sola loci mu-
tatione, idest aquæ in aerem ambientem, herba in
corallum mutatur, ergò multò magis argentum in
aurum poterit per diligentem artificis industriam
Duodecima. transformari. Duodecimò ex re mortua viua po-
test generari, ergò à fortiori res viua faciliùs pote-
Huius cõfirmatio 1. rit accidentaliter transmutari. Antecedens proba-
tur primò, quia ex cadaueribus, & stercore anima-
lium vespæ, scarabei, & crabrones gignuntur, vespæ
ex asinis præsertim, ex equis scarabei, ex mulis locu-
2. stæ progignuntur. Secundò ex ocimo scorpiones
fieri ex ijs, qui simplicium facultates diligenter scru
3. tati sunt, multi scripserunt. Tertiò ex auri pigmen-
to factum est aurum, vt supra diximus, ergò faciliùs
ex argento idem fieri poterit, nam similius est auro
argentum, quàm auripigmẽtum, illud enim est me-
tallum, & quasi aurum album, hoc non. Quartò ex
4. ouis per artem pulli generantur, ergò, & ex imper-
fectis metallis aurum per eandem fieri poterit. An-
tecedens patet, id enim fit in fornacibus Cayri vi
caloris, quo etiam in sinu animantur bombicis se-

mi-

mina. Consequentia patet, quia vt ouum ordinatur ad pullum, ita, & alia metalla ad aurum, cuius generationem per se intendit natura, quæ rudiora metalla generat, cum aurum ob rei alicuius defectũ non potest producere. Adde quòd plus differt ouũ à pullo, quàm alia metalla ab auro, cum inter pullum,& ouum sit differentia specifica, quæ inter metalla non datur. Quintò certum est apud Arduennas ligna lapidescere, si in quosdam fontes proijciãtur, vt Delrius, quid mirum igitur stannum, vel Mercurium aurum fieri, si super illa fiat proiectio Elixir? illud concedis, quia oculis ipsissimis intueris, hoc quia non vidisti, & ob imbecillitatem ingenij intelligere non potes, negabis? Dices hanc esse mutationem rei mortuæ in mortuam; ac proinde in rem æqualis nobilitatis, non esse tamen concedendum tam facilè in mutatione ignobilioris rei in nobilissimam. Sed contrà te est ratio sexta, nam in Scotia frustula nauium putrida, & fructus arborum in mare decidui conuertuntur vere in anates ex eodem Delrio, cuius miraculi clariorem explicationem vide apud Alexandrum ab Alex. lib. 4. Genial. dier. cap. 9. ergò iure ab intellectu benè disposito non potest hæc mutatio metallorum non concedi. Septimò agente calore nostro naturali cibus inanimis mutatur in carnem viuam, ergò vlteriorem concoctionem cruda metalla vi caloris extrinseci poterũt accipere,& aurescere. Octauò semen serici in sinu gestantis mulieris conuertitur in vermem, ex hoc in papilionem, & hoc fit per calorem, ergò &c. Nonò ex pelle vituli strangulati per putrefactionẽ cum externo calore apes fiunt, canis item strangulatus eodem modo in vermes, capilli mulierum per artẽ facilem in serpentes, panis calidus vino perfectè imbutus

Margin numbers: 5. 6. 7. 8. 9.

butus ad putrefactionem in cloaca in carnem, puluis viarum cadente pluuia in ranunculam, ex humoribus putridis capitis pediculi, vt quid ergò auri faciendi artem, cum difficiliora concedas, audes
10. pernegare? Decimò ex montanis aquis decurrentibus, & lacustris aquæ aspergine pelles, & carnes animantium in lapides certo certiùs commutãtur, at maior est proportio Iouis, vel Saturni ad Solem, quàm carnium ad lapides, ergò faciliùs ex Ioue fiet Sol, quum ex carne lapis, & tamen hoc fit, cur ergò
11. illud fieri non posse dices? Vndecimò ex anatis elixatura sub dio exposita buffones fiũt, ergò &c. Pro-
Decima tertia. batur conclusio decimotertiò, quia Carpati [oppidum est in Vngaria] ex puteo extrahitur aqua in quam portiones ferri coniectæ æs fiunt, imò ita ferrum rodit, vt minutiora ferri frustula in lutũ abeant ex Agric. initio libri 9. de natura fossil. cur ergò per artem, quæ naturam imitetur, non poterit dari ars aquam, vel puluerem faciens idem æs ex ferro factum in aurum legitimum transmutantem? Deci-
Decima quarta. moquartò ex aqua aer fit, ex hoc ignis, ex terra aqua, vel ignis mutatis qualitatibus, & dispositionibus ad formas substantiales requisitis, ergò ijsdem mutatis argentum fiet aurum, vel Mercurius erit argentis, & sic de cæteris, nam illa mutatis artis vires
Decima quinta. non superat. Decimoquintò ex Galeno lib. 9. de simpl. medic. fac. Soryn in Chalcitin longo tempore mutari posse constat, & breui Chalcitin in Misy mutatam ipse conspexit, ergò & mutatis qualitatibus argentum in aurum mutari poterit. Decimo-
Decima sexta. sextò inuenta sunt aquarum quædam genera, quarum aliæ vocant æs, aliæ ferrum, aliæ argẽtum, aliæ aurum: datur communis aqua separationis, in qua argentum coniectum in aquam migrat, aurum ve-

rò in tenues squammas. Mirandulanus aquam se confitetur vidisse, quæ omnem admirationem superaret, quæ bibi sine vllo detrimento posset, cui super hidrargyro solo, quod in sublime sit elatum, vis inesset, quæ non inest acerrimis aquis, quæ tamen nullam dissoluendi salis communis, qui aqua communi fluuiorum liquescit, vim obtineret: Ego scio aquam, quę bibi commodè potest, in qua frigida silex positus duarum horarum spatio in tenuem pollinem reducitur, epota est optimum, & valentissimū diureticum, lapidem tamen vesicæ, vel renum non comminuit, viribus fortasse suis in via destituta, quā vacuata lotio vesica, in eandemq; per catheterem proiectam spero lapides vesicę fœliciter comminuturam: si aluminis, & salis, qui è lateribus exsudat, magnam vim super argenti lamina constituas, nihil argentum mutabitur: si aquam ex iisdem rebus stillatam super argētum conijcias, statim in aquam conuertetur, vt suprà: tanta est vis corporum mineralium, si cotpore spoliata, eorum quasi anima sola, & spiritu vtaris: reperitur oleum liquans, tabefaciens, & in profundo etiam metalla colorans, de quibus vide Mirandul. lib. 2. de auro cap. 8. quid ergò dicunt Chemici quando aurum arte sua se facere posse profitentur, nisi reduci posse corpora pura, & perfecta in tenuissimum spiritum, qui super alia corpora proiectus, in aurum illa, vel argentum com mutat? nonnè in ictu oculi aer percussus in medio duorum corporum durorum transit in ignem? cur stannum, cur argentum viuum in tenuissimi spiritus, quem Elixir vocamus, auri naturam eadem ratione assumere non poterit? cur illud incredibile arbitraris? nonnè modicū fermentum magnam massam fermentat? nonnè farinæ molem in sublime at-

tollit? nonnè magnetem stellæ polares distantissimæ trahunt? nonnè Remora pisciculus minimus maxima nauigia sistit? nonnè exigua putris humoris infectio integras regiones contagio sæpè inficit? nonnè ex Cassij aperto capulo in Seleucia Babyloniæ aura tàm putris, ac maligna exhalauit, vt non illam modò oram, sed Græciam etiam, tum Romam eò per aera delata sæuissima peste cõtaminauerit? quid ad hæc omnia causæ? an ad vires quasdam occultas? an ad sympathiam, vel antipathiam confugies? ecquid prohibet ad eadem te te referre, si causam manifestam nòn agnoscis? nonnè metalla viuunt? nonnè in rebus omnibus occulta sunt seminaria ad sui similis productionem? cur hæc in auro non admittas? si admittis, cur etiam non concedis ab impuro corpore segregata breui corpora alia in suam naturam conuersura, quæ vel nunquam, vel longo temporum interuallo corpori mixta commutarẽt? Muscæ, & alia, quæ communiter ex putri materia generantur, si mortuæ sale conspergantur, & in loco calido collocẽtur, reuiuiscunt, cui rei simile quid narrat Aristoteles de fonte quodam libro de admirandis auscult. cur ergò argentum, id est aurum semisopitum per artem viuificari non poterit, vt verum, ac omninò viuum aurum fiat? nonnè admirabiliùs est muscam mortuam reuiuescere, quàm metallum accidentaliter transformare? si serpens in frusta sectus putrefiat in cucurbita calore ventris equini ex eo sexcenti serpentes producuntur, cur ergò ex pauco auro Elixir per artem fieri nõ poterit, quo maxima auri copia fiat? Decimoseptimò multa alia sunt corpora, quæ tùm natura producit, tùm ars solers etiam conficit, vel eiusdem, vel maioris etiam virtutis, quàm naturalia, nam & indistinctè vendun-

Decima septima.

tur,

tur, pro ijsdem remediis, & morbis à Medicis, & populo vsurpantur, & tantidem vendi permittuntur, ergò & idem fieri poterit in auro, si verum fiat, & quid ni fiat? antecedens probatur, & est Aristotelis 2. & 4. Metaph. nam datur sal naturalis, & factitius, & vterq; easdem vires habere deprehenditur; naturalis gignitur in Polonia, factitius verò in Gallia, imò fieri sales virtute marinum, montanum, & arenarium antiquorum superantes, quibus alij sales saliri possent docet Mirandul. loco sæpiùs citato, vbi ait ex herba, cuius referta erant sua prædia, salem se facere consueuisse, & ex sulphure factũ vidisse contemptorem flammę, & eximio splendore fulgidum, & candidum. Chalybs, sandaracha, ærugo, chalchantum ex Philandro in Vitruuium, & alijs cum Aristotele, tùm naturalia, tùm factitia reperiuntur, vt docet etiam Quercetanus in sua responsione ad Aubertum Medicum de ortu, & causis metallorũ. Alumen quoq; dari factitium ex calce quorundam lapidum iuxta Constantinopolin asserit Ianus Lacinius. Idem dico de Electro, idem de argento viuo, quod ita vocatur si naturale sit, si verò factitium propriè hydrargyron nuncupamus. Addo deniq; cinnabarim, & bitumen nos habere tùm à natura, tùm ab arte, ex quibus argumentari possumus habere nos posse argentum, & aurum factitium, si ars vt decet in operatione sua perfectè naturam imitetur. Decimooctauò facili negotio fit aurum, & argentum ementitum, quid ergò impedit, quominùs vlteriùs procedendo non fiat legitimum? Antecedens probatur experientia, nam si annulum argenteum, vel aliud quidpiam, etiam lapidem, sepelias in vasculo terræ in puluere qui recipiat salis ammoniaci, chalchanti albi vniuscuiusq; partes quatuor, Decima octaua.

salis petræ, & æruginis ana partes tres, & hora vna in igne constituas, ita tamen, vt non fundatur, tùm extractum vrina mergas, abluas, ac tergas, mirè auri colorem induces. Verùm hic color est superficiarius, & non fixus; penetrantem ita induces, imò, & paruo sumptu aurum mentieris. Accipe argenti partem vnam, auri partes duas, ex his simul liquatis quodcunq; lubet opus confici iubeas. Tùm recipe viridis æris partem vnam, salis ammoniaci partes duas, salis nitri partes tres, tere, ac misce, & torquē, vel opus ex auro illo conflatum priùs igne candens, mox refrigeratum cum descriptis pulueribus obrutum crucibulo lutandi impone, ita aptatum lento igni semihoræ spatio committe, & extractum in lotium proijce, idemq; quinquies reitera, & aurum sane quam elegantissimum habebis. Idem etiam perfectius, & minore sumptu assequeris, si materiā tibi compares ex auri, argenti, ærisq; ana parte vna, & ex ea, ac puluere, qui recipiat salis nitri, aluminis rupei, viridis æris, ana vnciam vnam, boli armeni orientalis vncias duas, chalchanti, idest vitrioli rubificati, lapidis hæmatitis, croci ferri, feretti hyspani, tutiæ Alexandriæ ana vnciam semissem, sublimati drachmas duas, s. s. s. facias in crucibulo, quod luto benè munitum igni ad horas viginti quatuor committas, ita vt ipsum quidem rubeat, materia verò non fundatur ignis vehementia. Quid? nonnè natura producit aurum, quod in lapide heracleo duellas tantùm decem, & octo attingit, ac proinde minoris quàm aliud itidem naturale tùm æstimatur, tùm venditur? & tamen si ex hoc fiat stratum super stratum cum puluere, qui recipiat chalchanti Cyprij vncias duas, viridis æris vnciam vnam, aluminis rupei, salis nitri ana vnciā semissem, salis am-

moniaci drachmas duas, ita vt singula in vase ferreo igni admoueantur, & ligna spatula tandiù agitentur, donec ampliùs non effument, & sic omnia simul ita igni concredantur horis septem, vt aurum non fundatur, aurum tibi comparabis ducllarum viginti quatuor minimo sumptu, magnoq; lucro, si solers, vt decet, esse volueris, & qua in re eo vti possis iure consideres. Mitto alias sexcentas rationes, vt & illam sanè pulcherrimam, qua horis quatuordecim aurum fit, licèt adulterinum, ex solo Mercurio. Tantùm contendo non repugnare, imò valdè congruere veræ Philosophiæ, aurum perfectissimũ arte fieri posse, quoniam adulterinum etiam fit, quod, si maior accedat ars, legitimo, ac naturali non sit inferius. Nonnè idem in argento solet euenire? si oleum ex arsenico chrystallino, puluerem calcis viuæ, & salem nitri æquis portionibus cum æris frustulis in testa igni admoueas, vt bulliant ad consumptionem, tum æs colliques, & in ferreum canaliculum proijcias, nonnè metallum argento proximum tibi comparabis? nonnè ex eo quiduis fieri poterit tertia præsertim naturalis argenti portione addita? addo & aliud ex Cardano lib. 6. de subtilit. in hæc verba: Auripigmenti albi, seu arsenici communis, halinitri ponderibus æquis partes in vas conijce vitreum conclusum, & per horam super carbones ardentes permitte, vt totum comminuatur. Huius pulueris vnciam, argenti viui tantundem, fœcis vini siccatæ, ac in puluerem ignis vi redactæ semunciam. Inde ergò duos habes pulueres; primum, qui ex auripigmento, & sale nitro constat: alterum, qui ex eo, & argento viuo, ac fœce vini est compositus. Igitur ære colliquato, in singulas libras adde primi pulueris à semuncia ad vnciam vsque, donec repur-

getur miscendo: inde postquàm purgatum fuerit, alterius pulueris quadrantem immitte, misceto; & in mel protinùs effundito.. Est & modus compendiosior cum argento sublimato, & plumbo albo. Sunt qui in binas libras æris halinitri, & arsenici vncias singulorum ternas misceant, ac percoquant. Hæc ille. Ita porrò artificiosæ sunt rationes huiusmodi, vt aliquæ lydiam cotem etiam fallant, ita vt fraus latere possit, nisi materia catillo cinereo ritè examinetur.

AVRVM VERVM SAEPIVS factum fuisse ostenditur.

SECTIO SEXTA.

Intentio quęstionis proponitur.

Historiæ Prima.

SECVNDA conclusio. Multi re ipsa aurum, & lapidem Philosophorum fecerunt, & alias rationes transmutationis metallorum vel casu, vel ingenio inuenerunt. Partes omnes huius conclusionis patebunt ex historijs hic describendis. Primò afferunt quidam ad hoc probandum testimonium Cælij Rhodigini, qui suo tempore in Gallia quendam fuisse ait, qui per aquam pastitionis aurũ à quolibet metallo separaret. Sed hæc ratio non concludit, hoc enim non est aurum facere, sed alteri metallo, puta æri mixtum, secernere, quod partim catillo cinereo, partim aqua partitionis etiam faciunt. Secundò Ioannes Andreas Iurisperitus in additionib. ad speculũ rubrica de crimine falsi ait: Nostris diebus habuimus Magistrum Arnaldum de Villanoua in Curia Romana summum Medicum, & Theologum, de quo scripsi de obseruatione ieiuniorum consilium, qui etiam magnus Alchimista virgulas

Secunda Arnaldus Villanouanus verũ aurum fecit.

auri, quas faciebat, consentiebant omni probationi submitti. Hæc ille; quem Ludouicus Romanus omnium hominum præstantissimum nuncupauit. Si dicas Dæmonem illi hoc aurum confecisse, in eadem naui sumus, nec enim Dæmon, quod naturæ vires excedit potest facere? Si dicas eundem verum aurum supposuisse, cum Arnaldus comercij cum Dæmone suspectus fuerit, primò quidem temere iudicas summum Theologum, & Medicum, qui in suis scriptis animum verè pium, & christianum vbique præsefert. Secundò iniuriam Romano Pontifici infers, qui Necromantico Medico vteretur, eumq; in Curia toleraret. Si deniq; dicas à nullo aurum illud fuisse examinatum, qua facilitate id ais, eadem ego nego, nec Arnaldum tum præfrictæ frontis fuisse puto, qui ausus fuerit examini efferre aurum adulterinum cum capitis periculo, & honoris. Tertiò Alexander Imperator in epistola quadam referente Roberto Vallensi sic ait: Homo noster antiquus est draco noster. Iste comedit caput suum, cum cauda sua, & caput, & cauda est anima, & spiritus, & anima, & anima, & spiritus sunt creati de luto, & hoc, & hoc ex oriente, & occidente per expellentem nocumenta. Non mentior, quia quod dixi, vidi in ciuitate. Non videtur autem sanæ mentis, qui asserenti Imperatori se testem oculatum huius rei fuisse, non credat. Geber item libri sui cap. 79. gratias agit Deo, quòd experientiam oculo viderit, & complementum operis proprio magisterio indagatum manu tetigerit. Quartò tradunt historiarum monumenta Diocletianum iussisse cremari libros vndiq; conquisitos, quibus ars auri, argentiq; faciendi docebatur, ne Aegyptij nouarum rerum cupidi comparatis sibi ex eo artificio diuitijs, Ro-

Defensio Arnaldi.

Tertia.

Quarta.

manis in posterum rebellarent. Ergò Aegyptij verum aurum faciebant, secus enim nec eos Imperator Romanus timuisset ex hoc capite, aut libros eius artis flāmis tradidisset. Quintò Bernardum Comitem Treuisanum aurum fecisse nemo vir æquus negabit, modò eius de Alchemia librum quatuor partibus distinctum perlegat, quem intelliges, modò de quo Mercurio loquatur præsciueris. Sextò Cardanus ipse, qui putat aurum fieri non posse per artem, tamen ait libro 6. de subtilit. Pharmacopolam quendam Taruisinum coram Principe, & sapientibus Reip. Venetę argentum viuum in aurum commutasse, & huius miraculi quædam adhuc extarę vestigia. Idem etiam cōstat de Lullo, qui optimum, & obrizum aurum in Anglia confecit, & quosdam adhuc nummos extare, quos appellāt, Nobile Raymundi, eiusdem artis testes. Adde & Hectorem Ausonium, & Guillelmum Aragosium, qui aurum habebant Taruisini puluere factum, & ex eodem puluere, quo aurum item ad rei fidem faciebant. Septimò Mirandulanus cap. 7. lib. 2. citati fatetur argentum factum esse, dum eo quæreretur medicina, in qua argentum viuum alijs plerisq; miscebatur. Addit se vidisse argentum, & aurum fieri, dum neutrum speraretur, & antiquorum multis chrysopæiæ artem ab Angelis reuelatione traditam fuisse. Octauò vellus aureum Iasonis, ad quod cum Argonautis nauigauit, nihil aliud erat, si seclusis fabulis rē ipsam sectemur, quàm ars auri faciendi membranis, quas pergamenas vocamus, compræhensa. Nonò idem Mirandulanus lib. 3. cap. 2. narrat Nicolaum Mirandulanum ex Minorum ordine magnæ sanctitatis virum Bononiæ argentum, Carpi aurum ex arte confecisse multorum testimonio, &

Quinta. Sexta. Septima. Octaua. Nona.

idem Hierosolymis factitasse, dum ibi sui ordinis coenobio præesset: & Apollinarem ex familia Dominicana sacerdotẽ piũ plusquàm viginti modos sciuisse, quibus verum aurum fieret: ante paucos annos Venetijs extitisse, qui nobilissimorum virorum testimonio ex re parua, quæ nec piperis granum excederet magnum auri pondus ex viuo argẽto conflarit: in sua ditione fuisse qui tribus testibus ex granulo rei cuiusdam argenti viui vnciam in probatissimum argentum converterit: amicum suum se vidente plus sexagies ex rebus metallicis aurum, & argentum confecisse, idque multis vijs assequutum: in confectione metallicæ aquæ aurum cum dispendio productum fuisse sine auro, argento, sulphure, & hydrargyro, quæ sunt auri proxima principia: virũ locupletem se cognouisse, qui parua impensa paucis diebus aurum purissimum faceret, quem officinis vẽdebat: alium item, qui succo quodam in igne vehementissimo æs in argentum, & aurum conuerteret: pauperculum item agnouisse, qui doctrina cælitis cuiusdam aqua nescio qua vsus aurum faciebat, & ex ferro bis aurum fecit, ex auripigmento ter, vel quater, quibus experimentis sibi planum fecit Chrysopæiam, & Argyropæiam artem non esse vanam, sed veram: vidisse qui duplici ratione ex Mercurio Lunam, in qua Sol mixtus erat effecerit: ex cinnabari sine admitione auri, & argẽti, quibusdam additis aurum, & argentum fieri, idem vidisse aliàs ex sola cinnabari oleo quodam addito: ex hydrargyro extracto à plumbo, & ære, aurum, argentumque confectum: deniq; ante paucos dies, & vidisse, & manibus tractasse aurum ex argento factum horarum trium spatio argento viuo non soluto, vel in aquam, vel Mercurium, quod Chemistæ requirunt,

di-

dicentes metallorum species mutari non posse, nisi in primam materiam proximam redigantur. Quæ omnia cum viderit Illustrissimus hic Comes, quorum pars magna ipse fuit, plurima oculis lustrarit ipsissimis, hic placuit transferre, vt si fortè quis minùs adductis rationibus conuincitur, auctoritati tamen viri nobilissimi, hominis eruditissimi, Chemię, atq; adeò scientiarum omnium peritissimi, vt ideò in tot experimentis falli non potuerit, conuictus cedat. Equidem iure arguam imbecillitatem ingenij auctorum illorum, qui vel quia rei metallicę minùs sunt periti, vel quia Philosophiam de limine tantùm salutarint, aut argutijs quibusdam contenti, & sophisticis speculationibus terræ penetralia, vel contempserint, vel ingenio adire non licuerit, metallorum mutationem hanc non concedant, quæ omninò concedenda est, etiansi quis dicat formis substantialibus metalla inter se differre, vt auctoritatibus, rationibus, & apertissimis experientijs iam conuicimus, circa quæ alia multa silentio prætereo aliàs fortè scribenda, quæ alium tamen stylum suaptè natura requirant.

AVRVM ARTE FACTVM

modo descriptum fuisse legitimum docetur.

SECTIO SEPTIMA.

Intentio quęstionis.

TERTIA conclusio. Aurum explicatis experimentis conflatum verum fuit, & legitimum. Vt cognoscamus num verum fuerit necnè, sciendum est quid sit aurum, quid argentum. Quapropterè re erit quid vnumquodque metallum sit, hic

in medium afferre. Cum ergò metalla omnia constent sulphure, & Mercurio, [si de materia proxima loquamur, nam remota est humor, siue halitus attenuatus viscosus exhalationi commixtus] scire est Ferrum esse corpus impurum constãs ex Mercurio impuro, plùs iusto fixo, & ex sulphure adusto, albo, & rubeo, non tamen claro. Peccat quia terrestri adusto constat sulphure, nec facilè funditur, vt alia, nec est purum, & in pondere etiam deficit, quæ si habeat, naturam auri aquirat. Cuprum est corpus item impurum constans simili Mercurio non fixo, & sulphure terrestri adhærente; rubeo, non tamen claro. Peccat, quia adurit, quia non est fixum, purum, nec pondus legitimum à natura sortitum est. Plumbum est corpus impurum ex Mercurio non fixo, impuro, subnigro constans, & sulphure adustibili. Peccat quia non habet legitimum colorem, nec est purum, nec fixum. Stannum, seu Plumbum album est corpus impurum, ex Mercurio semipuro, & semifixo, semialbo, semirubeo, similiq; sulphure constans. Peccat quia corpus est crudum, indigestum, id si habeat argentum, mox aurum fiat. Argentum est corpus purum ex Mercurio puro, albo, sulphure item puro, alboq; progenitum, durum, sonans, & in catillo cinereo perdurans. Peccat, quia auri colorem non habet, nec est fixum. Aurum est corpus purissimum Mercurio, & sulphure mundis, fixis, rubeis, claris, non adurentibus, aut adustis constans, ideò ad pondus in visceribus terræ digestum in catillo cinereo, & cœmento regali persistens sine consumptione. Hinc est, quòd si corpus reperiatur, cui huiusmodi proprietates conueniant, hoc tale metallum legitimum sit iudicandum, argentum quidem, si in catillo cinereo perduret cum

Ferrum quid sit.

Cuprum quid.

Plumbũ quid.

Stãnum quid.

Argentũ quid.

Aurum quid.

alijs argenti accidentibus, aurum si in catillo, & cœmento. Hæc sufficiunt licèt non adderemus quæ alij amplioris, & clarioris doctrinæ gratia rudibus addunt. Hæc ferè sunt, auri splendor aurichalchi colorem longè superat: eodem aurum est leuigatius, mollius, facilius enim flectitur: tractantem non inquinat, vt idem aurichalcum, & æs. Sono ab argento vincitur, aurum enim surdum est, vt aiunt, vtrunq; verò ratione generica, vt etiam quòd fusile sit, cuius rei humor est in causa; quòd sit ductile, quod accidit, quia lento constat humore, lentor enim humida cum siccis ita coniungit, vt malleo percussa metalla non frangãtur, sed longissimè pro ratione lentoris ducantur. Hinc ob maximum lentorem lõgissimè ducitur aurum, eius enim granum in filum producitur longitudine pedum 402, quod videtur incredibile. Ab ipso tenuitate excellit argentũ, tum æs, post ferrum, plumbum deinde deniq; stannum. Deinde, metallorũ humor acrimonia caloris non facilè vincitur, lentor enim humidi exhalationem prohibet, & humidum aqueum eorũdem vstionem remoratur: hinc quæ humidum cum sicco magis compactum per lẽtorem sortita sunt plùs igni resistunt, ex qua resistentia perfectio metallorum expenditur, vt hinc vel maximè colligas indifferentiam specificam metallorum, cum penes hoc duntaxàt, & alia accidentia quædam discriminentur. Itidem ex auro, & argento, quod tamen verti commodè in aquam potest, nihil per destillationẽ aqueum extrahi potest, vt docuit Cardanus lib. 10. cap. 50. de rer. var. cuius causa est, quia substantijs diuersis non constant, sed vna vniformi æquabiliter, in distillatione autem aqueum separatur à terreo per resolutionem in fumum; seu vaporem, qui

Auri aliæ cõditiones.

Aurum quãtum duci possit.

Ordo metallorũ in tenuitate.

Ex auro, & argento nihil potest elici per destillationem.

postmodùm in aquam conuertitur. Et licèt humido constent, id tamen cum vel perfectè, vt in argento, vel perfectissimè, vt in auro cum terreo sit commixtum, ab eodem vi caloris nequit separari. Si autem nō fieret separatio partis à parte in humorem, sed pars cum parte, totum nempè in humorem verteretur, haberes aurum potabile, & Elixir vitæ, de quo inferiùs agemus. Insuper aurum densum, & grauissimum esse debet. Hoc autem experientia potest deprehendi, nam ea quantitas auri, quæ pendet drachmam vnam, si sit argenti pendebit grana tantum triginta sex, si plumbi totidem, si æris triginta, si chalybis viginti septem, si ferri viginti sex, si stanni deniq; viginti quinque. Porrò horum duorum accidentium vnum ex alio sequitur, ideò enim grauissimum aurum, quia densum est, & ideò densum, quia perfectam à natura habuit mixtionem, & incrassationem, ac perfectissimam humidi cum sicco mixtionem, & decoctionem sine exustione, sine reliquijs inflammabilibus, aut adurentibus, quibus omnibus leuiores res redduntur. Et quia perfectior mixtio, ac decoctio est auro, quam argento, hinc est, quod hoc illo est leuius. Dixi superiùs perfecta metalla igni non cedere, aut deperdi, hinc est, quòd aurum, argentumque adulterinum sexies, aut septies ignem sustinere non potest, quin consumatur, & ad fœcem reducatur ex Alberto 3. de rebus metal. cap. 9. & alijs. Claueus vnciam vnam auri optimi testaceo vasculo inclusit, & argēti tantundem seorsim altero vase, & in fornace vitrariorum liquata duobus mensibus collocauit. Tum exempto auro, eius nec minimum de pondere deperditum animaduertit, argenti partem duodecimam, quia mixtionem, & decoctionem imperfectiorem

Auri densitas, & grauitas.

Aurum verum igni resistit.

Aurũ fuſum addito arſenico cur cõſumatur.

Globulis tormẽtariis parandis quantum arſenici addendũ, & cur.

Quodnã verũ aurum, & argẽtum ſit cẽſendum.

Catilli cinerei examen quomodo fiat.

Cœmentum regale quõ fiat.

habet, quàm aurum. Hoc autem verum eſt, ſi aliud non addatur, nam liquati auri portio aliqualis addito arſenico abſumitur, ideò autem fit, quia arſenicum auri partes diuidit, diuiſas faciliùs ignis abſumit, nam vnita virtus fortior, diuiſa imbecillior, vt non poſſit ita reſiſtere. Hæc eſt ratio, qua plumbo fuſo additur arſenicum, vt globuli tormentarij fiant perfectè ſphærici, eſt autem eius doſis vncia ſemis pro libris vigintiquinque plumbi. Hinc fit, quòd illud metallum cenſendum ſit verum aurum, aut argentum, quod ignibus perfectè reſiſtit, argentum, ſi in catillo cinereo perduret, aurum, ſi præterea cœmento Regali non cedat, & aqua partitionis in liquorem non vertatur. Porrò catilli cinerei examen hac ratione fieri ſolet: catillum ex cineribus cornuũ animalium compoſitum vehementi igne inflammant, quoad rubeat. Tum plumbum in illum inijciunt, quo liquato aurum, vel argentum defœcandum apponunt, carbonibus operiunt, leniter follibus carbones accendunt, idq; tandiù faciunt, quòad in gyrum liquata materia non agitetur, id enim perfecti operis ſignum erit. Ergò illud metallum, quod hoc examine non deperit verum eſt argentũ, non tamen neceſſariò verum aurum, hoc enim debet etiam perdurare in cœmento Regali, & aqua partitionis in liquorem non ſolui. Cœmentum huiuſmòdi ita fit: aurum in tenues laminas redactum ſumitur, & in teſtaceo vaſe cœmentatur cum puluere, qui fit ex partibus duabus ſalis cõmunis, & laterum antiquorum, vel qui in fluminum ripis, vel marino littore reperiuntur, parte vna, in igne athanor per diem naturalem, quod enim hoc igne non deperit legitimum erit aurum. In aqua partitionis hoc modo proceditur, fit autẽ aqua ex ſale nitri, &

alu-

alumine rupeo à Chemicis, in eã tenues laminulę ex auro, argentoq; cõflatę conijciuntur, & auri quod inibi est, fundum petit in tenues squammulas dissectum subrufas colore, quæ enim nigriores sunt aurum ostendunt arte quidem, sed paulò indiligentiore conflatum; argentum verò in aquam soluitur, quę conijcitur in vitreũ diploma addito recipiente: hinc admouetur ignis quòad euaporet tota aqua, in fundo enim remanet alba quædam materia, quæ legitimum est argentum. Tanquàm parergon hoc addam, nempe cauendum esse, ne in argenti huius fusione sublimatum admittatur, ponatur verò salarmoniacum, secus enim perderetur argentum; contrà faciendum in auro, sublimatum enim iniectum purius illud reddit, vt sal ammoniacum illud inficit. Denique addam communem rationem experiundi argentum, & aurum, nempè examẽ per lapidem Lydium, in quo illud est purissimum argentum, quod duellas, duodecim ostendit, & legitimum aurum, quod viginti quatuor demonstrat. Quæ ratio licet optima sit, non est tamen omninò certa, cum multas patiatur difficultates, de quibus nòn est præsentis loci disputare. Illud cõstat apud omnes catillũ cinereum esse verũ argenti examen [quãquàm per artem quædam etiam possint in illo perdurare, quæ non sunt verum argentum] Cœmentum Regale veram auri probam, licèt nonnulli hic etiam aliquẽ scrupulum inijciant, certissimum tamen est aqua partitionis vtriusq; argumentum, vt nihil de natura auri illius dubitandum sit, quod in eius fundo ad instar squammularum residet, & verissimum sit argentum quod in aquam abit, quæ sufficiant de metallorum horum examinibus. Itaq; cum metalla per Chemicos fiant, quæ his examinibus inconsum-

Auri, argentique examen per aquã partitionis quõ fiat.

Cautio.

Examen auri, & argẽti p lapidem Lydium.

Vera auri, & argẽti examina.

pta perdurant, quid est causæ, cur negetur per artem verum, ac probatum, tum aurum, tum argentum fieri posse?

Aurum quomodo fiat 1. Dices quomodo fieri potest hoc aurum? Respondeo id docere Hermetem Aegyptium his verbis: Verum, sine mendacio, certum, verissimum. Quod est superius est sicut quod est inferius: & quod est inferius est sicut quod est superius ad perpetranda miracula rei vnius. Pater eius est Sol: Mater eius est Luna. Portauit illum ventus in ventre suo. Nutrix eius est terra. Et vis eius est integra si versa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi. Consule Gerardum Dorneum, qui libro, cui nomen est Physica Hermetis Trismegisti, fusiùs ista explicat. 2. Alij clariùs præcipiunt materiam lapidis primò esse in calcem reducendam, tum in aquam mineralem resoluendam, ex qua elementa separanda, quæ iterum artificiosè coniungunt, hinc putrefaciunt igne tamen non sicco, ne Mercurius fugiat, tum eodem igne coagulant humida cum siccis, ac sublimant excrementa separando, tum spiritum corpori coniungendo, multiplicando, & deniq; proiectionem super imperfecta metalla faciendo illa in veram Lunam, Solemq; transformant. 3. Alij volunt metalla esse reducenda in primam materiam, & postmodum per artem noua forma auri, vel argenti in illam inducatur, quia species mutari non possunt. Ita Auicēna libro de Mineral. qui quartus Meteororum Aristotelis appellatur, & cum eo multi. Verùm hanc reductionem in materiam primam corporis mutandi non esse necessariam satis patet ex dictis conclusione secunda de argento in aurum trium horarum spatio commutato, cuius rei oculatus testis fuit Mirandulanus. Se-

cundò

cundò falsum est species mutari non posse, ridicula enim est hæc propositio; quis enim nesciat lignum in cineres mutari, inanima in animata, vt ex dictis clarè patet? Nec enim in auri generatione ex argento, formam substantialem argenti manere asserunt, qui metalla specie distingui inter se asseuerant, sed eandem destrui superueniente forma substãtiali auri. Tertiò nihil nos vrget hæc difficultas, cum asseramus apertissimis conuicti rationibus metalla specie non differre, sufficit enim in auri generatione accidentalis mutatio. Quartò cum metalla viuant, & semina speciei propriæ propagatiua contineant, vt abundè rationibus, & Philosophorum, ac Sanctorum Patrum auctoritate probatum est, si semen illud, aut spiritus vegetans à reliquo corpore impuro defœcatus secernatur, non video cur non possit sibi simile generare in materia apta. Illud semen lapis Philosophorum appellatur, in aquam solutum aurum est potabile. Praxin docent Chemici. Vide Bernardum Comitẽ Treuisanum. Auctorum syluam tam Arabum, quàm Græcorum, & Latinorum habes apud Robertum Vallensem de veritate, & antiquitates artis Chemicæ.

Species possunt mutari cõtra vulgare dictum.

SOLVVNTVR RATIONES *allatæ sectione prima contra sententiam nostram.*

SECTIO OCTAVA.

EX his, quæ hactenus disputata sunt, facilè est aduersariorum rationibus respondere, illasq; dissoluere. Itaque

Solutio rationũ initio libri propositarũ.

Ad primam rationem pro confirmatione primæ

opi-

Primæ opinionis solutio ratio nis 1.

opinionis allatã respondeo nego vtranq; sequelam, supponit enim quod sit per naturam arte fieri non posse, quod esse falsum patet ex dictis, & dicendis, neq; enim tantùm fit aurum per artem par naturali, sed etiam longè excellentius.

2.

Ad secundam respondeo metalla ita esse exusta, vt sint imperfectè cocta, ac commixta, quo fit, vt igne cineritij consumantur. Si itaq; temperatiùs coquatur, vt quod in ijs est humidum cum sicco aptè misceantur, & impurum separetur perfecta metalla fient, idest argentum, vel aurum. Alia, quæ ibidem Cardanus addit, soluuntur ex iam allatis, & afferendis.

Quomodo metallũ imperfectũ fiat perfectũ.

3.

Artem Chemicam qui verè calleant, adhuc extant.

Ad tertiam respondeo artem hanc apud multos adhuc extare probabile est ex dictis superioribus conclusionibus, præsertim secunda. Martinus Delrius lib. 1. cap. 5. quæst. 1. disq. magic. tradit se nouisse viros graues in dignitate positos, Deum timentes, qui eam tenerent. Argenti faciendi artem germanam apud quosdã esse apud Serenissimum Ducem Sabaudiæ intelleximus, sed non cum magno lucro: alios viros fide dignos, nobiles, & prædiuites nouimus, qui aquam facerent, quæ argentum partim tingeret, & fixaret, sed opus esse valdè difficilè. Dico itaq; non esse à fide alienum reperiri multos, qui Chrysopæiam calleant. At non extet huiusmodi ars, ergonè ideò non dabitur, nec erit possibilis? Nonnè olim ars erat vulgatissima tingendarum vestium purpura? quis nunc illam agnoscit? quot aliæ artes perierunt? quot singulis sæculis inueniuntur? quæ tamen antequam inueniantur non ideò sunt impossibiles, quod priùs ignorarētur. Id videre præsertim est in arte, qua stillatitij liquores ex vegetabilibus eliciuntur, in pyxide nautica, in tormentorum

Artes pereunt, & nouæ inueniuntur.

Artes nouæ.

belli-

bellicorum inuētione, in arte excudendorum librorum, quæ omnes antiquis fuerunt ignotæ, vt nobis sunt artes multæ, quas tamen inueniri non est impossibile, vt est ars producendæ vitæ, restaurandi omninò humidum radicale deperditum, volandi etiam, quæ ex parte à viro acutissimo iam inuenta fuerat, sed imperio, aliorumq; iussu suppressa, ruinam toti orbi fortè allatura. Idem de Chemica iudicium facias, quæ non ideò non erit vera, licèt apud paucos, vel nullos extaret.

Venio iam ad rationes pro secunda dubitantium opinione adductas, & primò

Ad primam dico his partim respōsum superiùs, partim etiam nunc satisfaciendum nobis esse. Verùm qui huiusmodi obijciunt pij potiùs mihi esse videntur, quàm docti: neq; enim artem ab artifice distingunt. Qui enim falsam monetam facit artifex est arte abusus, non ars ipsa Chemica, quæ legitima metalla parare docet, artificis verò vitia non sunt arti adscribenda. Defendit in iudicio summus ille Orator Phrinem turpissimam meretricem, & Romanæ Princeps eloquentiæ Cluentiū iure damnandum artis vsus, vel abusus potiùs instrumentis liberauit, sed illa ars non iubet defendi malos, sed conuictos acerbè plecti. Vitia itaq; fuerunt hęc non artis, sed artificum, qui vel turpi amore impulsi, vel libidinis stimulis agitati, vel pecuniarum copia deliniti contrà artis decus accusanda defenderūt. Idem esto iudicium de malis illis Chemicis, qui arte abutuntur ad falsam monetam cudendam. Ergonè si ille enemate iniecto Leonem Summum Pōtificem interfecit, si aliorum Medicorum consilio venena exhibita sunt secretissima, quæ etiam nullis signis propinata dignosci possent, Medicos, & medicam

Secundæ opionionis solutio rationis 1.

Ars chemica nō docet falsam monetā cudere.

artem exsibilandam affirmabis? turpissimi viri acerbissimè plectantur, & nobilissima ars honorificentissimè tractetur. Deinde si aurum comercio, & auxilio Dœmonis effici solùm posse contendis, iniurius equidem es, qui omnes Chemicos hac ratione id fecisse putas, & summis viris iniuriam non leuem infers, & es iniquus. Hoc enim admisso, quid nam in secretioribus artibus naturæ solius vi fieri concedes? si dicam quempiam ex incubo Dœmone succubante matre genitum fuisse, quid dices? nonnè potuit Dœmon ipsissimam patris formam mentiri? cur non idem affirmas in rebus medicis, cum audis Medicum, aut Chirurgum quempiam morbo deplorato aliquem præter omnium spem persanasse? en temeritatem tuam. Vide quot reuocet in dubium iniquissimè. Proinde palinodiam cane, & meliùs naturæ artisq; vires contemplatus saniorem sententiam promas, & quæ admirabilia sunt, nec naturæ vires excedunt, ope potiùs Dei O. M. quàm cacodœmonis fieri asseuera. De suspicione comercij dœmoniaci Villanouani iam supra facta mentio est.

Impugnantur q. dicunt Chemicos auxilio Dæmonũ aurum facere.

2\. Philosophi à Chemicis quinam appellẽtur.

Ad secundam rationem respõdeo vocari à Chemicis Philosophos non eos solùm, qui metallorum transmutationi, & lapidis, auriq; potabilis compositioni dant operam, sed eos, qui rerum omnium, & præsertim mineralium cognitioni desudant. Id autem eò faciunt, quia præterquàm quod qui hæc ignorat, nec sapientis nomen meretur, nec Philosophi, Medicis ipsis summè necessaria est rerum harum cognitio: multorum enim morborum curatio vix potest perfici sine ope mineralium. Multis ægris omninò renuentibus communia pharmaca facilè exhibemus extractum aliquod, aut quintam mine-

Medicis sũmè necessaria cognitio mineralium.

ralis

ralis alicuius essentiam, quæ in minima dosi maxima patrant miracula. Cum maniaca passione paucis ante diebus Cunei adolescens, alioqui magnæ expectationis teneretur, & nihil penitùs ex vulgari schola Medicorum depromptum ex multis, quæ præscribebam, sumere vellet, maximum auxilium persentit ex fuligine antimonij, quam insciùs, vel cum prunis Prouincialibus, vel cum pomo cocto instar sacchari, aliquando cum recenti caseo suso assumebat. Idem à D. Isaco Lattes Medico doctissimo tentatum est cum sorore propria, cui lapidem Lazuli præparatum cum cibis nihil tale suspicanti offerebat. Philosophis item nonnè hæc cognitio necessaria? nonè aliorum cognitio inanis est, si cum hac comparetur? Egonè Philosophum appellem, qui de tempore, vacuo, infinito, de ente, & alijs huiusmodi disputet, horum, quæ quotidie tractamus, quibus ad bonam valetudinem, vel amissam recuperandam, vel recuperatam tuendam indigemus, nihil cognoscat? quid de iurisperitis dicam? nonnè illis necessaria, vt valorem, incrementa, ac decrementa monetarum, astus, deceptiones magistrorum, qui officinis argentarijs præsunt deprehendant? vt monetas adulterinas agnoscant, quantum in ijs peccetur intelligant, vt hinc qua pœna sint rei plectendi facilè perdiscant. Quare legitimum Philosophum appellare possumus eum, qui dialectica optimè imbutus, physicas, & metaphysicas speculationes callet apprimè. At hoc parum est, Neque enim Philosophi nomen meretur, nisi plantarum vires, rerum medicarum, quæ latissimè patent causas scitè didicerit, hæc autem rerum mineralium scientiam comprehendunt. Huiusmodi vir, cum eorum, quæ in cœlis sunt, sub cœlis degunt, in terra

Medicamenta ex mineralibus aliquãdo ex necessitate vtẽda.

Philosophis necessaria cognitio mineralium.

Iurisperitis necessaria cognitio mineralium.

viuunt, aere, & aquis, & sub iisdem latitant, causas reddere possit, meritò Philosophi nomine mihi dignus videtur. Et in hoc rerum æquus æstimator superbos Chemicos non est quòd appellet, cum tales ipsi Chemicos, eósque solos Philosophos vocent. Deniq; paulò diligentiùs euoluãtur Chemicorum auctorum libri, & inuenies nihil eos commendare, nisi pietatem, religionem, ad elemosinas cohortari, à falsis monetis cudendis auocare, & alia huiusmodi, quæ profectò non facerent, si necromantici, si Athei, si malis artibus essent imbuti.

Doctorũ Chemicorũ defensio.

3. Ad tertiam rationem respondeo Chemicam posse considerari duobus modis. Primò in se: secundo in hoc, vel illo artifice. In se est ars legitima, realis, maximè quæstuosa, vtpotè quàm etiam ob potentiam ipsi Romani Imperatores extimescerent. In hoc, vel illo artifice non tantùm non est quæstuosa, sed maximè sumptuosa, nam vel materiam falsam assumunt, vel operandi modum ignorãt, vel aliqua quidem sciunt, alia licèt ignorent, scire putant, denique Magistri esse volunt, antequàm in gymnasium pedem intulerint. Secus accidit summis illis Philosophis viris doctissimis, & exercitatissimis Alberto Magno, Augurello, Auicennę, Arnaldo Villanouano, Bono Ferrariensi, Gebero, Lullo, Treuisano, alijsq; sexcentis, qui & artem non ignorasse, & sibi ipsis valdè lucrosam fuisse re ipsa declararũt. Quot nummorum millia solus Treuisanus profudit, antequàm exactè artẽ tenuerit? causa fuit eius inscitia, nã re ipsa artem profitebatur, quam ignorabat. Itaque duobus annis impigrè Philosophis euoluendis nauauit operam, & in quo omnes conueniunt maxima diligentia notauit, in praxim reuocauit, & intentum, ac tandem concupitum finem est assequtus.

Chemica ars in se est valdè quæstuosa.

Ars chemica quibus fit sũptuosa.

Treuisanus factus est diues p artẽ chemicam.

Lege eius librum. Quid de Fernelio dicam? nonnè exactè artem tenuit, vt apertè legenti eius caput 18. libri 2. de abditis rerum causis patere potest? nonnè tam apertis verbis eam edocuit, vt iam opus non sit Hermetis ænigmata, vel Philosophorum aliorum fabulas euoluere, vt artem condiscamus? mitto diuitias Theophrasti Paracelsi iniquisimi hæretici hoc artificio conquisitas, licet quidam lapidis præparandi artem illum ignorasse fateantur. Ignaris autem sumptuosa est ob inscitiam. Legunt in Philosophis lapidem esse mineralem, animalem, vegetabilem: ita accipiunt ex mineralibus arsenicum, cinnabarim, hydrargyrum, vitriolum, salium genera varia, lapidem hac ratione parari posse credentes. Ex animalibus mel despumatum, capillos humanos, vrinam pueri, buffonem calcinatum, axugias, sanguinem humanum, eiusdem hominis stercus, castoreum, oua, & alia huiusmodi: ex vegetabilibus agrimoniam, acetum, argentillam, amygdalarum oleum, betonicam, brassicam marinam, capillos Veneris, cœpas scyllæ, coloquintidem, chelidoniam, consolidam, cataputiam vocatam, esulam, euphorbium, hermodactilos, helleborum album, gariophyllatam, garofanariam, mastichem, melissam, napellum, olibanum, perforatam, picem naualem, parietariam, rutam syluestrem, sabinam, scrophulariam, trifolium, verbascum, & alia infinita, quæ consultò prætereo, quæ Mercurium congelare putantur, & apta esse ad lapidem componẽdum. Hæc itaque, vel horum aliqua accipiunt, & Philosophos malè intelligentes ab illis descriptum lapidem conficere non possunt. Illi autem mineralem lapidem dixerunt, quia res ex qua fit metallum est, res mineralis, aurum puta. Vegetabilem, quia sicut

Paracelsus Chemica factus est diues.

Ineptiæ insciorũ Chemicorum.

Lapis Philosophorum quomodo mineralis, vegetabilis, & animalis dicatur.

anima vegetatiua in vegetabilibus est principium vitæ,eiusq; operationum,vt nutritionis, augmentationis,& sibi similis generationis, ita in lapide vis est quędam vitę,qua lapis nutritur,& augetur alijs metallis imperfectis, quæ in aurum conuertit, quæ est similis generatio: deniq; animalem dixerunt, quia animam habet, & spiritum, intellige formam substantialem, quæ anima dici debet ex supradictis suppositione tertia. Qui hæc non intellexerunt, peruersè in hanc artem incubuerunt,& suo damno artem non esse lucrosam, si in ignarum cadat, perceperunt. Hoc obijcit Quercetanus vir doctissimus in Aubertum Medicum, qui oua philosophicè decoquendo centenos aliquot decoxerat aureos,atq; ideò artem cauillabatur,quasi illum fefellisset, cum ipsemet potiùs aberrauisset, nec præstare eius culpam ars teneatur,ex eius responsione. Amicus quidam meus vir planè simplex,sed multũ sibi tribuens triticum in cucurbita in lac soluebat, inde in lac illud hydrargyrum indebat,igni temperato pluribus diebus committebat,aurum inde se putans deprom pturum hoc ductus argumento, quòd ex Philosophis materia lapidis vbique reperiatur, in montibus & planis nascatur, in diuitum, ac pauperum manibus reperiatur,sic ineptè admodùm concludebat id triticum esse. Sed qualis operandi modus,talis extitit finis. Alij rationes quasdam habent sophisticas auri,argentique faciendi,non tamen legitimi. Multa experiendo impendunt,nihil lucri reportant. Vbi angustijs domus premuntur, ad adulterinam monetam,tanquam ad sacram anchoram confugiunt, & breui fraude detecta ad fustitudinas insulas amandantur. Mox conclamant omnes hæc esse Chemię lucra, videri quæ sit ars, num legitima, vel sophisti-

Fatua operatio Chemici ignari.

ca, cum ignaris, & improbis artificibus fraus esset potiùs adscribenda, quàm arti. Huiusmodi Chemicorum plenus ferè terrarum Orbis videtur, in quos Richardus Anglicus cap. 14. sui correctorij sic inuehitur: scitote quod hæc ars à Philosophis occultè tradita est propter eius nobilitatem, & non existimate eam in foro esse venalem, aut vendendam, & emendam, sicut libri vestri multarum falsitatũ continent. Vnus emit, alter vendit, discas mihi merdam, & ego te docebo stercus. Sic permerdatus aliũ permerdat, & omnis mundus existit quasi permerdatus. Volentes ergò alios ditare, vos ipsi infinitis paupertatibus estis subiecti. Hæc ille: ex quibus videre est quantum his secretorum Chemicorum pauperibus venditoribus sit fidendum. Si enim legitima haberent, paucos aureos hac mercatura non quærerent. Nonnulli verò sunt, qui rationes has sophisticas planè refugiunt, & legitima tantùm consectãtur, verùm ratione illegitima. Nam quidam primo ex solo sulphure medicinam facere tentauerunt, idque variis rationibus, vt docent Philosophi amonsoteron nugas recensentes. Qui si Philosophi nomen, quod affectant, meruissent, ad alia se se experimenta contulissent. Etenim sulphur in metallorum generatione rationem habet agentis, Mercurius verò patientis, ergò solum sulphur non sufficit, quia patiente materia necessaria destituitur. Deinde sulphur licet ad summam albedinem deducatur, tamen semper remanet combustibile, nec fixari potest, ergò non erit res apta ad compositionem Elixiris. Secundò alij solo hydrargyro ad idem opus vsi sunt, nec diuersa methodo, nam vt agens solum sine materia non sufficit, ita nec materia sine agente, at Mercurius est materia metallorum, ergò sine

Repræhensio ignarorũ Chemicorũ Ricardi Anglici.

Secreta Chemica vẽdentibus nõ fidẽdum.

Quidam solo sulphure lapidẽ Philosophorum parant.

Repræhẽsio eorundem.

Alij solo hydrargyro lapidẽ parant.

Repræhensio.

actione agentis non sufficit ad Elixiris compositionem, in quo materia requiritur cum sua forma. Addo Mercurium esse maximè impurum, & virtutem digestiuam semisepultam habere, vt ideò seipsum non possit coquendo perficere, & debitè ad tantum opus præparare. Tertiò quidam sunt meliùs, quàm superiores philosophantes, sed malè tamen concludentes, qui cum viderent Mercurium solum, & sulphur etiam seorsim non sufficere, vtroq; simul mixto vsi sunt, materia patiente, & forma agente, eoque audentiùs id fecerunt, quo sæpiùs in Philosophorũ monumentis legebant metalla, atq; adeò lapidem tantoperè conquisitum ex Mercurio, & sulphure constare. At ratio, & praxis rerum magistra edocuit non rectè illos philosophari. Quandoquidem ex sulphure communi, & crudo Mercurio elicitur tantùm optima cinnabaris ex experientia, ergò non aurum, vel lapis ille. Deinde quia vtrunq; ex intrinseco principio non est aptum seorsim ad lapidem præparandum, ergò nec simul commixta. Prætereà licet ex hoc sulphure, & Mercurio aurum fieret, tamẽ nullus adhuc explicauit qua proportione sint miscenda. Addo vtriusq; ad Elixirem esse difficillimam præparationem, ergò multò difficilior erit vtriusq; simul. Insuper Mercurius qui requiritur ad Elixirem non est vulgi, sed Philosophorum, ergò vulgi ineptus erit, & idem dico de sulphure. Vlterius hoc sulphur, & hic Mercurius sunt duæ res, at Philosophorum sulphur, & Mercurius sunt vna tantùm res iuxta illud.

Alij ex sulphure, & Mercurio simul lapidem faciunt.

Repræhensio 1.

2.

3.

4.

5.

6.

Est rebis in dictis rectissima norma figuris.

7. Denique Mercurius vulgi in igne euolat, sulphur comburitur, ergò ignis necessarij beneficio non poterunt ita præparari, vt sint vera medicina. Quartò

alij sunt, qui aurum, & argentum cum Mercurio commiscent, ex quibus in sublimè elatis fixandum spiritum eliciunt. Et hi etiam decipiuntur, quia Philosophi docuerunt vnam esse rem, in qua est mas, & fœmina, agens, & patiens, sulphur, & Mercurius. Verùm horum errori fortasse condonandum est, licet paulò diligentiùs res tanta fuisset illis perpendenda. Quintò alij semen hoc auri fœcundum ex Mercurio, & ære prolicere conantur, & malè etiam, tùm quia Mercurius vulgi ineptus est, & eodem modo æs, nam sulphure constat impuro, & inquinante, Elixir autem talis non erit, si vel minimùm inquinamenti in se habeat. Et licèt alij in magisterio aurum addant, tamen id ab æris impuritate multum patitur, & parum admodum æs ab auro perficitur, vt propterea perfectũ opus inde resultare non possit. Sextò alij aquis ex rebus corrodentibus extractis Solem, & Lunam soluunt, & reliquas operationes ad opus perficiunt. Sed hos errare ex dictis patet, & clariùs etiam ex dicendis patebit. Septimò alij arsenico sæpiùs sublimato oleo tartari soluto, & coagulato vtuntur, quod fixare tentarunt. Verùm primò quidem vix vllus mortalium fixationem hãc perficere potuit. Deinde idem confirmant à nobis iam allata conclusione prima sect. 5. vbi Sybillina carmina expendebamus. Octauò alij marchasitas adhibent philosophãdi ratione non dissimili. Nam ex cuiusuis metalli marchasita nullũ possumus metallum elicere, cum exhalet penitùs igne subiecto residentia quadam nigra, & inutili relicta in fundo, at in medicinæ compositione requiritur sulphur, quod hic exhalat, ergo &c. Deinde non in omnibus metallorum fodinis marchasita reperitur, licèt inuẽta marchasita subesse aliquod metallum com-

Alij auro argento, & Mercurio lapidẽ parant. Repræhensio.

Alij ex Mercurio, & ære lapidem faciunt. Repræhensio.

Aquis corrodẽtib. agentes reprę henduntur.

Arsenico vtentes reprę henduntur.

Marchasitas adhibentes repręhẽduntur.

muniter velint, at in omni reperitur Mercurius cum sulphure, ergò hæc potiùs, quàm marchasita principia erunt lapidis. Nonò alij Vitriolum adhibuerunt, ex quo lapidem composuerunt, sed nullius virtutis, nam id proiectio declarauit. Lege Philosophos. Decimò alij alijs medijs mineralibus vsi sunt sexcentis modis præparatis, vt hinc pateant quãtum possit auri sacra fames. Sed hi perperam sunt philosophati, quod probatur. Quia media mineralia in hoc differunt à metallis, quòd hæc plùs Mercurij habent, quàm sulphuris, illa verò plùs sulphuris terreni impuri, quàm Mercurij, ergò media mineralia non erunt apta lapidi componendo. Patet, quia lapis inde conflatus non esset naturæ vniformis, sed adustæ, & adurentis, terreæ &c. Prætereà vel lapis hic debet imperfecta metalla in perfecta transformare, vel àb ijs transformari. Non hoc secundum, quia Chrysopæia, & Argyropæia non quærit modum faciendorum imperfectorum metallorũ, ergò primum. Si illud, cum omne generans sibi simile generet, profectò hic lapis metalla imperfecta in metalla adusta adurentia, terrena, impura commutabit, quare omnia media mineralia non erunt huius magisterij. Hæc doctrina latè patet, vt satis esse possit ad detegendas quamplurimas multorum decipulas, & fraudes. Vndecimò alij ex animalibus, vt suprà dictum est, quędam in hoc opus àdnocant, & pessimè, nec enim genere conueniunt cum metallis. Nullum communiter animal metallum genuit, nec è contra. Verùm quidem est philosophicè loquendo rem quamuis tot subire posse mutationes, & alterationes, si sublunaris sit, vt lapis verus fieri possit, sed hæc humanam praxim excedunt, vt ideò dicamus id fieri non posse. Duodecimò alij

Vitriolũ ad hoc ineptum.

Media mineralia ad cõpositionem Elixir non sunt idonea.

1.

2.

Animalia Elixir compositionem nõ ingrediuntur.

vegetabilia præparant. Et contrà hos eadem ratio militat. Hi sunt in duplici differentia. Nam quidam ex mineralibus etiam aliqua miscent, alij solis vegetabilibus vtuntur, & hi verum secretum habere putantur, qui Mercurium congelare sine odore metalli dicuntur. Nam congelatum hac ratione, facilè posteà aquis fixare se putant. Sed falsum est, vt & superiora omnia. Nam licèt quædam vegetabilia Mercurium possint congelare, quia resinosa quadam pinguedine, & terreno sulphure scatent, hoc tamen non valet, quia sulphur vegetabilium non conuenit genere proximo cum sulphure metallorum; quare illud ad fixam tincturam non sufficit. Exitus id sæpiùs demonstrauit. Decimotertiò alij aurum accipiunt cum hydrargyro, vel hunc cum Luna, prout medicinam parare volunt ad aurum, vel argentum. Et hi etiam errant, quia Philosophos philosophicè loquentes non intellexerunt. Cum enim de auro loquuntur, aurum suum intelligunt, quem ferrum alij vocarunt à colore, quem recipit in operatione: cum Mercurium accipi iubent, de philosophico Mercurio sunt intelligendi. Et hi etiā venia quodammodo digni sunt. Decimoquartò alij deniq; auro vtuntur ad tantum opus præparandum, illudq; hydrargyro præparato dissoluunt in nigrum puluerem, quod est ferrum Philosophorū. Ex hoc aquam proiiciunt, quam capiti mortuo septies reaffundunt: caput mortuum calx est auri candidissima, & Philosophorum sulphur, aqua verò eorundem Mercurius. Calcem ventre equino diebus quadraginta dissoluunt, in quā aquam reaffundunt methodo à Philosophis explicata, sicq; lapis fit, Elixir, medicina conquisita, vera & compendiosa legitimi auri gignendi ratio. Ex his opinionibus

Vegetabilia non possunt cōponere Elixir.

Aurum cū Mercurio nō benè adhibetur in eodem opere.

Vltima ratio omniū optima.

Cur Chemica ars nō sit q̄stuosa multis.

lectori patere potest, cur Chemica multis ars quæstuosa non sit, cum enim non accipiant, quod deberent, non possunt assequi quod vellent. Adde si placet, multos varia experimenta tentare vera Philosophia destitutos, quare multa profundere, nec alicuius lucrum multorum detrimenta posse compensare. Multi boni aliquid nacti locum aptum, vel socios laboris patientes, & operandi gnaros non inueniunt, vt alias rationes omittam, quas alij descripserunt. Hæc in præsentia sufficiant.

Obiectio contra auctorem afferentē dari veram artem Chemicam.

Dicet prætereà aliquis, si legitima est hæc ars, si adeò compendiosa, si tanti lucri viris mediocriter in Philosophia exercitatis, cur in illam non incumbimus omnes? cur illi te totum non tradis? nonnè vnica die pecuniarum tantum colliges sine labore, quantum decem annis maximis cū laboribus paulatim vix decerpes ex formulis medicis? Respondeo ingenuè mihi semper placuisse mineraliū scientiam, tùm quòd iucundissima sit; tùm quòd Medico summè sit necessaria: à praxi Chemica semper abhorrui, tùm quia suprà vires sumptuosa; tùm quia in ea honoris non leuis fit iactura, tùm etiam ob labores maximos exanthlandos, & fumorum malignitatem, quibus resistere non possem imbecilli pectore grauioribus partium spiritualium morbis aliàs acerbè tentatus. Deniq; ipsi me Chemici ab exercitijs artis auocarunt. Ioannes Franciscus Mirandulanus cap. 6. libri 3. de auro, monet artis alumnos, ne suprà facultates se se dedāt experimentis, neuè ob id certiora amittant studia, neu magnas sibi polliceantur diuitias vana spe lusi. Quendam ex cinnabari optimum argentum fecisse, sæpenumero posteà operi insistentē semper euentu rei frustratùm fuisse. Rationes loco citato subdit, & concludit qui-

A Chemiæ praxi cur auctor abhorreat.

Doctores Chemiæ illius vsū reprobant.

bușdam

busdam hanc artem à Deo concessam, quibus postmodum denegata fuit, siue ingratitudinis vitio, siue alia de causa. Audi quid dicat Theob. de Hoghelande lib. de Alchemię difficultatibus, quæ hic placuit adnectere: Chemica verò qui tractat, nisi imperfectorum metallorum in aurum, & argentum metamorphosim verè calleat, qui artis est finis, & totius studij periodus, frustra ætatem suam terit, temporisque inconsultè amissi pœnitentiam aget. Quis igitur nisi imprudens, loquor autem non Principibus, & Magnatibus, quibus parum decedit, si centenos aliquot aureos quotannis in re honestissima, & pulcherrima, iucundissimaque, si ratione, & consilio omnia fiant, impendant, sed meæ conditionis hominibus, quis inquam dubia sectetur, vnde nil, nisi temporis, & operæ dispendium, ægestatē, & inopiam speret; & non potiùs ea, vnde certa præmia, honor, diuitiæ, fauor inter suos, & admiratio expectantur? quid stultius, quàm ea inquirere, quæ postquàm maximo labore, & impensis non vulgaribus adeptos sis, ne audes quidem euulgare? quam miseram vitam tuam fore existimas cum in summa fortuna fortunam desideres, & ne id possis, quod velles, compedes tibi iniectas sentics, vt meritò cum Horatio dicere possis: Quò mihi fortunam, si non conceditur vti? At poteris alijs benefacere. Splendidum id quidem, & magnificum, sed ne hoc quidem, nisi occultè. Deinde vt alijs sis amicus, ipse tibi eris inimicus? vt alios promoueas, te ipsum deprimes, & ancipiti fortunæ committes, animo inter spem, & metum semper suspensus? vt alijs dones, tua priùs insumes, floridam iuuentutem perdes, & in imum desperationis barathrum te conijcies? cū ne gratia quidem vlla ab ingratis affinibus, consan-

Qui imperfecta metalla in perfecta nescit transformare Chemiæ non det operam.

Rationes ab vsu Chemiæ reuocātes. 1. ab incertitudine. 2. stulta artis exercitatio. 3. à miseria artificis. 4. quia benefacere nō potest abunde etiam votis potitus.

guineis, & amicis expectanda sit, existimantibus te non ex amore, sed abundantia, & parca admodum manu largiri, cum possis largissimà, si tamen voto potitus sis: sin autem secus, nemo tibi vel teruntium reddet, etiamsi omnia tua insumpseris, quinimò ridebéris, & ludibrijs omnium expositus cōtabesces. Et cum ne vnus quidem è decem millibus, qui Chemica tractant, propositum sibi finem consequatur, an non potiùs timendum est, ne cum decem millibus operam ludas, quàm cum vnico isto rem quæsitam obtineas? Hæc ille, & alia plura fusissimè: legat illius librum qui plura volet. Hæc mihi è pluribus ex illo, & alijs multis prælibasse sufficit.

5. affines ingrati benefactori chemico, & cur.

6. Chemicus voto nō pótitus est omnium ludibriū.

Iam verò rationes soluo pro confirmatione tertiæ opinionis allatas, & primò

Tertiæ opinionis solutio rationis 1.

Natura sēper intēdit auri generationem.

Ad primam respondeo à natura semper intendi productionem auri; verùm defectu circunstantiarum modò hoc, modò illud metallum imperfectum generari prout calor minor, vel maior, siccum purius, vel impurius interuenit, humidum magis, vel minùs cum sicco commiscetur. De se tamen aurum primò intendit. Hinc imperfectæ, mineræ progressu temporis perficiuntur, & quæ priùs argentea erat post aliquot annos auri fœcunda reperitur [sic puto in ditione Serenifs. nostri Ducis Sabaudiæ non ad multos annos futuras auri, argentique fodinas quamplurimas, quæ tempore maturescentes perfecta metalla fundent, quod ex aurifodinarum copia incredibili non maturatarum non est difficilè diuinare. Et id præsertim Intraquis, & Valderij, vbi multæ sunt aureę, cupreæ, plumbeæ: imò Intraquis aquę fontium ferri, vel alterius metalli portiunculā continent, & manus leuiter deturpant, sed eorum vsu nullus ferè lithiasi, nullus podagra laborare depræ-

henditur.] Eadem prorsus ratione impedita natura sæpè perfecto homine monstrum producere visa est. Si itaq; quæ hominis proprijssima sunt in monstro cernamus, diuersæ speciei esse ab homine non dicimus. Pari ergò ratione cum quæ auro essentialiter conueniunt, alijs etiam metallis tribuantur, illud cum his eiusdem esse speciei asseremus, & hæc rude quoddam esse, ac initiatum aurum, cui sui ipsius iam perfecti definitio coueniat, vt puellulo viri ætatis consistentis competit etiam quid rei explicās oratio. Nonnè corallum album idem est speciẽ cum rubeo? quid ergò aurum diuersum specie ab argẽto asseueres? cum hæc, vt illa ratione maioris, vel minoris decoctionis tantùm differant? Deniq; aurum duobus modis considerari potest, vt metallum, & vt aurum, vel tale metallum. Aurum quatenus metallum non producitur ab arte, sed à natura, vt sic ergò producitur tantùm ab arte quoad perfectiones extrinsecas, & accidentarias: si verò consideremus aurum, vt aurum, dico ab arte produci quoad perfectiones intrinsecas. Nā aurum vt sic dicit intrinsecè vim persistendi in catillo cinereo, & cœmento regali, resistendi aquæ partitionis, ne in aquam in illa soluatur, & alia huiusmodi, quæ cum ab arte habeat aurum arte factum, dicetur ars quoad perfectiones intrinsecas aurum, vt aurum est producere.

Metalla imperfecta sunt quasi auri monstra.

Aurum duobus modis cōsideratur.

Ad secundam respondeo naturam intēdere perfectionem, & pulchritudinem vniuersi, & moueri ad assequtionē formarum substantialium, & nisi impediatur etiam ad accidentales subsequentes, non tantùm antecedentes, quæ & substantiales exornāt, & mundo conducunt. Hinc adepta formam argenti mouetur ad accidentales alias formas, quibus aurum materia illa fiat. Non ergò fit hic motus sine

fine, sic enim obtinet natura maius, & maius bonum, & quod absolutè est in suo genere optimum. Et licèt hæc mutatio sit accidentalis, nullum tamen ex ea sequitur inconueniens, quia natura mouetur ad assequtionem formarum substantialium, & accidentalium; & hæ etiam sunt aliquod bonum in suo genere, nec ex hoc sequitur aurum, vt sic produci ab arte tantùm quoad perfectiones extrinsecas, vt suprà dictum est.

3. Ad tertiam respondeo licèt id verum sit; sequelā tamen esse falsam. Nam totum plumbum exempli gratia in lapidis proiectione conuertitur in aurum, non eius tantùm pars minima, quale est argentum in illo contentum. Hoc autē ex testimonio pendet eorum, qui id vel fecerunt, vel factum viderunt, de quibus satis superq; dictum est. Secundò imperfecta metalla communia nihil auri, vel argenti continent, & tamen à Chemicis fuisse transmutata, & mutati in perfecta probatum est, ergò non erit sola separatio. Antecedens est verum; nam in igne cinerij nihil eorum remanet, aliquid verò in fundo relinqueretur, si aurum, & argentum in ijs continetur.

In proiectione lapidis fit trāsmutatio metallorū non illorū separatio.

Ex iam allatis certo certius cōstat metalla omnia eiusdem esse speciei; contrà quam sententiam aliqui adhuc insurgunt, & obijciunt.

Ratio probans metalla non esse eiusdem speciei.

Primò quia si metalla omnia essent eiusdem speciei, haberent easdem vires, sed non habent, ergò non sunt eiusdem speciei minor probatur, quia argentum viuum est venenum, & æs intro sumi non potest citra bonæ valetudinis maximum detrimentum, vt infrà dicetur, at aurum esse saluberrimum tota docuit antiquitas, ergò &c. Respondeo omnia metalla aurum esse imperfectum, & eius opera-

Sol utió

tiones,quatenus metallū est,obtinere:metallo enim vt sic conuenit esse corpus minerale, fusibile, sub malleo ex omni dimensione extensibile ex Gebero: alij addunt esse corpus vel durum, vel liquidum, vt argentum viuum metallum esse probent: quam partem definitionis qui non admittunt, aiunt Mercurium potentia metallum esse,non actu, quia per artem, vel naturam durari potest, & in metallum perfectum conuerti, de quo tamen supra. Sic metallis omnibus conuenit fusibilitas, malleabilitas, durities,magis tamen,ac minùs pro cuiusq; diuersitate. Cæterùm esse cordiale, vel venenatum metallo, vt sic non conuenit, sed vt affectum est tali temperamento, ex quo consurgit hæc, vel illa vis alexipharmaca, vel deleteria. Sic æs potentia est cordiale, quia potentia est aurum, eiusq; vires eadem illi ratione conueniunt. Quid de Apoplectico dices? operationes animales non exercet: ergonè illi negabis, & facultates? facultates habet impeditas, quare non operantur. Sic metalla imperfecta [etiamsi vires peculiares à formis manarent] impediuntur alijs qualitatibus contrarijs, ne auri operationes efficiat.

Alia obiectio.

Dices si omnia metalla sunt aurum essentialiter, cur ignibus pari robore non resistunt? Respondeo hoc non conuenire metallo vt sic, sed tali habenti talem fixationem, vt ignibus non cedat. Nam auri siccum cum humido perfectissimè mixtum est, quare siccum perfectè continet humidum, ne exhalet, & humor siccitatem tuetur, ne vel accendatur, vel vratur. Secus contingit in alijs metallis, hinc fit, vt igne eorum aliquid, vel totum penitus absumatur, quia videlicet vel imperfectè mixta hæc duo sunt, vel imperfectissimè, quare communiter inquiunt vnum tantùm esse perfectum metallum nempè Solem, &

Solutio.

Aurum cur ignibus resistat.

N ali-

aliquo modo Lunam, reliqua verò omnia imperfecta. Æs quia non habet decentem mixtionem habet vires contrarias humano temperamento non quatenus metallum, sed quà tale. Aurum habet vires cordiales quà aurum, non quà metallum. Itaq; metalla omnia quà talia easdem habent vires, & facultates. Ex quibus patet rationis in contrarium solutio, pro qua etiam videre est quid alibi dixerimus de causis abditis effectuum multorum in rebus naturalibus.

Obiectio alia. Secundò obijciunt contrà superiùs dicta, quia ex Auberto si lapis vim haberet transmutantē imperfecta metalla, deberet potiùs ea transmutare in aliū lapidem, quàm in aurum, sed illud non facit ex omnium Chemicorum cōsensu; ergò neq; hoc faciet.

Solutio. Respondeo argumentum partim esse falsum, partim procedere ex rei ipsius ignoratione. Primò quidem agens non communicat passo quidquid habet in se, sed minùs aliquid, ita enim à natura comparatum est. Communicat enim quid ex ijs, quæ habet, tum naturæ suæ principia. Sic ignis calefacit primò lignum, tum alium ignem generat. Præterea lapis transmutat alia metalla in seipsum, nam lapis nihil aliud est essentialiter, quàm aurum in suis gradibus multiplicatum. Ergò lapis aurum ex alijs metallis faciendo propriam naturam patienti communicat, multiplicatos aureitatis gradus nō cōmunicat, quia materia multis rebus impeditur, ne illos habeat, præter rationem præassignatam. Hæc impedimēta per solam artem, & quidem longam, ac difficilem tolluntur. Quapropter mirum non est, si lapis alium quidem lapidem gignat quòad principia essentialia, non tamen quòad accidentalia, qualis est ista graduum multiplicatio.

His

His ita constitutis iam tempus est explicandi principale intentum propositæ disputationis, in qua quærimus vtrum aurum arte factum sit pharmacum cordiale.

AVRVM FACTITIVVM EST quam maximè cordiale.

SECTIO NONA.

PRIMA conclusio. Aurum factitium est optimum medicamentum cordiale, sicut & naturale; illud verò, quo nummi constant nullo pacto pharmacis limatum miscendum est, nec in decoctionibus fundendum. Probatur primò prima pars conclusionis, quia aurum factitium est verum aurum, quia naturalis auri naturam, & omnia accidentia habet, ergò etiã erit cordiale. Probatur consequentia, quia siue fluat hæc virtus à natura auri, siue ab eius temperamento, omninò illi concedenda est, nam factitium auri naturalis, temperamentum habet, quod colligitur apertè ab examinibus suprà descriptis, cur ergò virtutes etiam pares non habeat? Quòd si dicas vires huiusmodi à natura proficisci, cum factitium habeat legitimam auri essentiam, cur ab hac eadem vis non emanet, tanquàm ab essentiali, & necessario principio? Nonnè pullus per artem ab ouo exclusus eandem naturam, easdem proprietates habet, quas reliqui obtinent, qui gallinæ incubantis fotu excluduntur? Secundò probatur, quia per artem fit aurum naturali perfectius, vt factum vidit Mirandulanus, & ex eodem docuit Psellus, fieri nempè aurum melius eo, quod ex Pactolo legebatur, ergò hoc melius erit naturalis in medica-

Aurum artificiale est cordiale.

Ratio 1.

Secunda ratio.

mentis exhibitum: nam quia nitentius, magis spiritus illustrabit, & quia coloratius, plus exhilarabit &c. Secunda pars conclusionis de auro monetarum, quæ fuit etiam Quercetani cap. primo libri de præparatione Spagyrica medicamentorum, probatur. Primò quidem, quia mixta habet multa venenata, puta sublimatum vocatum, & æs nam in perfectissimis nũmis aureis ex auri partibus 192, vna est æris, quæ cedit in lucrũ argẽntariæ officinæ magistro. At sublimatum esse maximè venenosum in confesso est apud omnes, cum maligna qualitate, & alijs liquoribus extinctum, ac purum argentum viuum longè superet. Circa quæ videre est à Matthiolo descripta in 6. Diosc. cap. 28. Æs autem deleteriam etiam naturam est sortitum, vt propterea in vsum culinæ non admittantur ænea vasa; noxias enim vires cibis communicant, nisi plumbo albo [propriè Cassiteron vocant] obducantur, quod mitigat, non tamen penitùs malum arcet. Elephantiasim, cancrum, lepram, dolores hepatis, & splenis excitat, si præsertim diutiùs esculenta vase æneo asseruentur, si dulcia, vel acida sint. Quid quod vas æneum piscibus frixis superpositum ita eos inficit, vt præsens sint venenum? mitto quòd stomacho noceat, quòd internas partes liquet, quòd strangulatu respirationis vias coarctando necem inferat, & alia huiusmodi, quæ apertè demonstrant pestiferum esse illud decoctum, cui infunditur aurum hocce, & læthalem antidotum, quæ admixtum habet puluerem, vel limaturam auri Principum imagine, & argumento insigniti; nisi modica quantitas talem non inferat noxam, quæ indoctæ plebi innotescat: ideò tamen error non erit error, licet inscitia assidentium cum reliquis imperitorum erroribus, quo sola terra

Aurum monetarum non est miscẽdum medicamentis cordialibus. Ratio.

Aes ad culinę vsus nõ admittendum.

Nota.

Aeneorũ vasorũ dãna.

Cur auri cõmmis exhibiti damna non aduertãtur.

tegit, vt ille. Eò tamē temeritatis ob inscitiam multi deuenerunt, vt in grauissimis morbis huiusmodi limaturam exhibeant, læthalibus oppressos ægritudinibus ægros ad celeriorem mortem adigentes non alia fortasse de causa, nisi vel vt aliquid agere, vel abstrusiora remedia callere videantur. Qui si rebus metallicis cognoscendis aliquā darent operam Galenum imitati, qui suis libris fossilium rerum naturam est prosequutus diligentissimè, quod Medico est summè necessarium, meliùs profectò ægris, meliùs honori, meliùs conscientiæ suæ consulerent. Id autem cùm renuant, eos, qui, vt Medici officium requirit, in mineralium natura cognoscenda desudant, suspectos viros appellant, Chemistas, quibus nullo pacto vita sit concredenda, cùm ipsi potiùs ijs, quæ ignorant abutentes, & præposterè exhibentes, hominum carnifices, non vitæ conseruatores iure meritò sint censendi. Consulant itaq; rei metallicę doctores, discent oleum, & operam eos perdere, qui virtutes auri veri, legitimi, nullo alio inquinamento conspurcati sorbitiunculis incoquendo putant posse communicari, vt colligetur ex infra dicendis, & iam dictis. Nam si ita resistit igni, vt nihil illo depereat, qui fieri poterit, vt eius aliquid decoctum leuioris virtutis extrahat? nec enim sola virtus communicari potest, cùm accidentia de subiecto in subiectum non migrent. Curandum itaq; est, vt aurum habeatur labe omni per cœmentum expurgatum, cuius fit vsus in medicamentis. Nefas enim esset præposterè tanto remedio vti, ne quod ad hominis tuendam bonam valetudinem à natura nobis concessum est, in eiusdem perniciem conspirare videatur. Etenim aurum ex Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 79. lima comminutum in tenuissimum alchool

Repræhenduntur Medici limaturā auri vulgaris ægris exhibentes.

Aurum quale medicamentis cordialibus miscendum.

Auri vires medicamentosę ex Auicenna.

medicamentis vtiliter misceri constat, quæ humores, & morbos melancholicos respiciunt, sanare alopeciam, lepram, cor corroborare, eius tremorē curare, & oculorum aciem confirmare in tenuissimum pollinem redactū applicatum. Alias eius vires medicas prosequitur Plin. nat. histor. lib. 33. cap. 4. Quin etiam cū ipsum sit maximè temperatum temperat etiā humana corpora, vt in eis nihil relinquat peccans excedens: impedit ne à partibus inferioribus ad caput tetri vapores ferantur, superfluitates omnes expurgat, cum sit tenuissimæ substantiæ, & cum penè sit incorruptibile, corrupta, si quæ sunt in corpore, pellit: cum sit lucidum spiritus illustrat, tetros vapores repellit, ac dissipat, clarum intellectum reddit, ideò viros ingeniosos facit. Hæc omnia eò perfectiùs efficit, quò tenuius redditur, vt hinc lapidis Philosophorum vim admirabilem postmodùm explicandam conijcias.

Auri virtutes aliæ.

Sed occurrunt aduersarij acerrimo argumento, veneficæ esse naturæ aurum arte factum, quare & D. D. communiter asserere eo non vtendum esse in medicamentis, æquali pretio non posse vendi cum naturali. Et hoc patet, quia eius magisterium ingreditur hydrargyrum venenum pessimum, sæpè Chemici vtuntur arsenico, & alijs, quæ maximè sunt deleteria, quomodò ergò aurum hac ratione factum poterit esse cordi proficuum? Nonnè potiùs erit venenum præsentissimum? Soluit hunc nodū olim doctissimè Mirandulanus loc. cit. & nos in præsentia sententiam nostram proferemus. Dico itaque primò aurum naturale in terræ cauernis ex hydrargyro etiam fieri, verùm decoctione aliam naturam ascissit ab eo ex quo fit, quo pacto multa aucto, vel imminuto calore, magis, vel minùs decocta simpli-

Obiectio contra aurū artificiale.

Solutio.

Per decoctionē multa pessima fiūt optima.

cia,

cia, vel composita sunt, vel maximè salutaria, vel maximè pestifera. Sic aconitum præsens venenum ex vino tepido exhibitū percussis à vipera, vel scorpio salutiferum esse remedium experientia multorum Medicorum doctissimorum docuit Mizaldus centur. 8. num. 28. sic viperæ Scythico, & Atracio veneno nocentiores apta commixtione, & decoctione in theriaca omnium fortasse alexipharmacorum palmam tenent; sic Chalcitis tùm caustica, tùm escharotica, & internis omnibus partibus maximè inimica ab Andromacho seniore Theriacæ miscetur, licèt à quibusdam neotericis, etiam contrà Galeni mentem expungatur: sic oua cruda stomacho inimica, mediocriter cocta gratissima, plùs iusto igne durata naturę inimicissima tradunt omnes: sic stercus humanum fœtidissimū, naturę inimicum, naribus infestissimū, pestis aliquādo causa aerem inficiendo, decoctionis beneficio in ventriculo suillo in chilum mox in sanguinem in eiusdem hepate, tum in carnem optimam, & multis sapidissimam commutatur. Pari ratione hydrargyrum, & alia metalla conuenientiùs decocta siue in terræ visceribus, siue alijs in locis, in quibus ars naturā imitatur aliam naturam induit, & ex veneno fit præstātissimum alexipharmacum, ex Mercurio nempè aurum. Deinde dantur multæ rationes faciendi auri, in quibus nullus est venenatorum vsus, nullus nō modò metalli, sed ne rei quidem vllius venenatæ odor. Deniq; cum antiquitùs Chrysopæiæ ars esset publica, ita vt timori esset ipsis Romanis Imperatoribus, cùm aurum in pollinem redactum conseruis, vel pulueribus cordialibus mixtum deuoras, putasnè id esse naturale, an factitium? Non factitium, quia huius vsum in Medicina non admittis

1. 2. 3. 4. 5.

Alia ratio cōtra aduersarios.

tan-

Dignosci nō potest aurū naturale à factitio

tanquàm noxium: ergò naturale: at doceas quæso quomodò iudices illud esse natiuum, non arte conflatum. An ex nota, & imagine Principis? at etiam Chemici multi [idem dic de auro ab antiquis Ægyptijs facto] aurum suum ijsdem argumentis condecorāt. An examine lapidis Lydij? at factitium duellas etiam viginti quatuor attingit. An ex pondere, ex mollitudine? at par pondus, par flexibilitas. Quid ergò dices? factitiū assumptum nocere? at hoc quæritur, itanè sit, an secus: at hoc à naturali discriminare non potes: at probabile est aurum, quod communiter pharmacis immiscetur, sæpè esse factitium ex dictis. Maneat ergò cum parem naturam, & temperamentum simile habeant, ijsdem etiam virtutibus à natura insigniri.

Obiectio alia cōtra aurū quodcunque.

Occurrunt præterea hac ratione. Aurum licèt validissimo igne non potest resolui, (licèt liquefiat) & in aliud diuersæ speciei breui transformari; ergò multò minùs eius limatura calore stomachi humani poterit concoqui, ergò à ventriculo ad hepar, ab hoc per venam cauam ad cor non poterit peruenire, ergò eidem non poterit prodesse per os assumptum, & consequenter non erit medicamentum cordiale.

Solutio.

Respondeo hanc vim cordialē auri continuâ iam multorum sæculorum obseruatione ab omnibus Medicis fuisse notatam, licèt eius rei caussa non omnibus nota fuerit.

Quomodo aurū sit cordiale.

Voluit Princeps hanc vim esse occultam, & proportione respondere virtuti magnetis, quia ferrum trahit. Et quidem Auicenna redargui non potest: eius enim philosophandi ratio à rerum aliarum naturalium effectis nō dissidet.

Aliorū ratio.

Alij ideò aurum cordis amicissimum esse voluerunt, quia sit maximè temperatum, cum in eo frigus calorem non vincat, hic illud non superet, hu-

midităs, & ficcitas pari proportione in eius compositionem admittantur. Quare Rhasis inquit in auro decem esse partes calidi, totidem frigidi, totidem humidi, ac ficci. Hinc fit, vt ex naturali quadam sympathia cordi prosit, eiusq; munus sit cordis vitalem spiritum confirmare, imò & totum corpus humanum, quod totum simul consideratum, licèt non per partes, anaticum est, & maximè temperatum. Hæc porrò vis, vt alibi dictum est, sequitur ipsius temperamentum, non formam substantialem. Rationi ergò consentaneum fuit aurum esse cordiale ob anaticum temperamentum, à quo fluit virtus quædam anatica anaticitatis inductiua, & conseruatiua, vt manifestè facit aurum licèt in chilum, & sanguinem fortè non mutetur. Sed quid si negem in tenuissimum pollinem comminutum in chilum, & sanguinem non mutari? quid si dicam familiaritate substantiæ in alchool redactum ab hepate primum, inde in cor trahi, illudq; immediatione suppositi, & virtutis ad miraculum confirmare? hæc de auro ipso sufficiant. Iam ad ipsum Philosophorum lapidem accedamus.

Nota cõtra aduersarios.

LAPIDEM PHILOSOPHORVM magis esse cordialem, quam aurum demonstro.

SECTIO DECIMA.

Lapis Philosophorum, & aurum potabile sunt magis cordialia, quam aurum.

SECVNDA conclusio. Lapis Philosophorum est pharmacum cordiale, & viribus longè auro excellentius. Quod de lapide dico, de auro etiam potabili intelligo, quod ex lapide fit, vel auro, imò est ferè idem lapis in liquorem conuersus.

Lapis Philosophorum quidnam sit.

Lapis autem est aurum ipsum in suis gradibus multiplicatum stante temperamento, quod fuit in auro primo, vt scilicet quod fuit vnius integri gradus, iam sit centum, vel mille graduum, vt cum Philosophis docet Odomarus. Probatur primò, quia lapis est idem aurum essentialiter, at hoc est cordiale, ergò & ille.

Ratio 1.

Secundò auri scobs difficulter penetrare potest vsq; ad cor, eiusq; spiritus, id est partes subtiliores seminales fecibus mixtæ sunt, in lapide autē nihil est nisi spiritus à fecibus, & quasi à corpore segregatus, ergò lapis potētiùs aget, magis cor corroborabit, &c.

Secunda

Tertiò in lapide est virtus auri multiplicata in calore naturali, cuius proprium est separare heterogenea, & homogenea congregare, vt in metallis facit, quæ perfectissima reddit separata illorum impuritate, ergò idem facit in corporibus humanis, in quibus ratio adhuc est efficacior, cum naturam habeat strenuè adminiculantem, & superfluitates calore naturali separantem, earumque expulsionem naturali potentia tentantem;

Tertia.

Quartò morbi vt plurimùm fiunt, vel ametria qualitatum, vel humorum, sed lapis, vel aurum potabile habet virtutem anaticam, temperatam, ferè incorruptibilem etiam in indiuiduo; ac penitùs vniformem, ergò in lapide erit non tantùm cordis, sed & aliarum partium vis medicatrix morborum, nam corpori suam anaticitatem communicabit, naturam roborabit, & superfluitates separatas è corpore expellet, vt possit eius vsu non quidem fieri homo immortalis, sed constitutum saltem à natura terminum vitæ obtinere, ad quem pauci, vel potiùs nulli perueniunt.

Quarta.

Quintò liquor iste aqua solutus si in centro plantæ alicuius, puta vitis, ponatur, ita illius vires naturales roborabit, vt quæ fructum allatura

Quinta.

erat

erat mense Septembri, mense Maio producat, ergò & pari ratione vires omnes naturales, animales, ac vitales corporis humani confirmabit. Sextò idem liquor proiectus super metalla imperfecta, eadem in aurum commutat, vt examina omnia sustineant cineritij, cœmenti regalis, & aquæ partitionis, ergò & codē modo morbos, & superfluitates, quæ in corpore humano reperiuntur emendabit, & impurum à puro secernet. Septimò eodem remedio maior perspicuitas, color intensior, & purior, validior durities lapidibus preciosis communicatur, ergò signum est aurum hoc potabile naturæ cuiusuis amicissimum esse, ac proinde etiam humanæ, quam ita roborat, vt hoc adminiculo facilè morbos omnes, ac humores peccantes deuincat, à bonis separet, ac à se ipsa validè propellat. Porrò Arnaldus Villanouanus peculiarius lapidis vires in hunc modum describit: de sene facit iuuenem, & senem reuirescere facit naturam, conseruat sanitatem, roborat infirmitatem, omnem corporis expellit ægritudinem, venenum declinat à corde, arterias humectat, liuidam immunditiem à pulmone dissoluit, vulneratum consolidat, sanguinem mundificat, lapidem frangit, contenta in spiritualibus purgat, si caput rheumaticum est purgat à fluxu, stomachum in calore naturali confortat. Et si ægritudo fuerit vnius mensis, sanat eam in vno die, vel hora: si verò ægritudo fuerit vnius anni, sanat eam in octo diebus: si verò morbus fuerit antiquus longo tempore cum alijs medicinis incurabilis, sanat eum in dimidio mense. Hæc est Arnaldi doctrina, qui Romani Pontificis Medicus percelebris hac medicina aurum faciebat, quod omni examini probandum publicè offerebat: ille medicinæ artifex, ille eiusdem

Sexta.

Septima.

Virtutes lapidis huius ex Arnaldo.

Catarrhum curat.

effectuum in praxi contemplator, ac testis oculatus, vt propterea pro veris falsa dictitare non sit iudicandus. Addit idem auctor libro de Elixire vrinæ suppressionem curare. Morbos omnes curare auctor est Archelaus Philosophus, quod idem confirmat Raymundus inquiens in eius exhibitione non opus esse vrinæ inspectione, aut pulsus exploratione, quod nimirum sit medicamentum tutissimum educenda educens, retinenda conseruans, nullam penitus vim naturæ inferens, vt propterea, si nihil peccans in corpore contineatur, ab illo nihil expellat. Phtisim præsertim sanare testis est Mirandulanus libro primo de auro cap. 4. vbi ait Antonium quendam Chirurgum sibi cognitum paucis ante annis matronam ex Foro Cornelij phtisi morientem paucis diebus ab ipsa tabe liberam sanitati pristinæ restituisse solo potabili auro, quod ex ipsius patrui Nicolai [cuius nos supra ex eodem auctore mentionem fecimus] confecerat disciplina. Valescus de Tharanta Medicus doctissimus libro 5. cap. 20. sui Philonij ait sine dubio lapidem Philosophorum inter operationes optimas, quas perficit in corpore humano, habere proprietatem frangendi lapidem in renibus, & vesica, & mundificandi vtrunq; ex doctrina Beriensis.

Curat vrinæ suppressionem.

Curat Phtisim.

Lapidē frāgit in renibus, & vesica.

Multi dubitarunt num hic lapis curet pestilentes morbos, ac pestem propriè vocatam. Qua in re censeo primo lapidis vim talem esse, vt hos morbos initio ægritudinis propinatus curare possit. Probatur, quia hoc remedium impurum omne à puro secernit, ergò in principio morbi veneni quidquid est in corpore, vel in sanguine extrà corpus depellet: patet, nam in principio morbi pauca admodùm est veneni copia, vt propterea tam valido remedio ful-

Lapis curat pestē in sui principio. Ratio.

ta, ac roborata natura illud possit deuincere. Dico secundò, si morbus eò processerit, vt vel totus, vel maxima pars sanguinis sit vitiata, non solum lapidem Philosophorum, & aurum potabile, sed quoduis aliud medicamentum frustraneum esse ad pristinæ valetudinis recuperationem. Probatur, quia, vt iam dictum est, lapis roborando naturam impurum à puro secernit, & impuri nihil relinquit, sed totus sanguis ex suppositione, vel ferè totus est corruptus, ergò in hoc casu sanguinem totum è corpore expelleret. Hoc autem facto impossibile est hominem fore superstitem, ergò nullo pacto in hoc discrimine constitutus sanitati poterit restitui. Verùm quia non ita magna sanguinis copia necessaria est simpliciter ad vitæ conseruationem, [cum constet aliquando paucis horis plusquàm viginti sanguinis libras in vno, eodemq; corpore vacuatas, in humano autem corpore communiter inueniantur libræ duntaxat sanguinis viginti quinque plus minus] ideò si totus penitus sanguis non sit infectus, sed integri portio adhuc aliqua remaneat, facilè exsibito lapide quis posset conualescere. Porrò hæc omnia clariora adhuc ex eo fiunt, quod lapis aliud non est, quàm aurum in gradibus aureitatis multiplicatum, non autem quinta sanguinis essentia, quæ eiusdem vices supplere possit, nam huius munus est illum tantùm, vel rectificare, vel è corpore corruptum pellere, vel ab imminente putredine vindicare; si autem esset quinta sanguinis essentia, quæ illius munia posset obire, etiam corrupta tota massa sanguinea exhibitus posset hominem non solum conseruare, sed etiam pristinæ sanitati restituere.

Lapis nō curat pestem, vbi venenū totum ferè sanguinem infecit.

Ratio.

Lapis cur nō possit supplere vices sanguinis.

Queret hoc loco aliquis quanam ratione cor ver

Quomodo à venenis cor liberet iste lapis

neno lapis hic possit liberare. Pro respõsione sciendum est duobus modis venenum ab alexipharmacis à corde propulsari. Primo quidem propulsione, quæ fit à vi naturali expultrice ipsius cordis virtute auxilij confirmati. Secundo attractione, quæ fit ex sympathia trahentis, & illecti. Sic Theriaca venenum à secunda ad primam corporis regionem trahendo, eodem sanat: sic arsenicum propè emunctorium cordis gestatum si quid maligni in corde insideat attrahit, & pestem curat, licèt alij velint ideò hoc fieri, quòd malignis illius vaporibus cor assuetum, postmodùm faciliùs malignitatis quasi connaturalis impetus eludat. Primo modo Bezzar, cornu vnicorni, & lapis Philosophorum, aurumq; potabile, de quo loquimur, venenis cor liberat, quod nimirùm in anatico temperamento illi similia ita illius vires adaugent, vt venenis superiùs facili negotio euadat. Hoc autem, vt superiora suprà allata ratione accipienda sunt: si enim nón tantùm cordis humores, sed eius etiam substantia insigniter sit vitiata, nullo pacto poterit lapis vim veneni superare.

Theriaca quomodo venena curet.

Quomodo arsenicum.

Lapis curat venena propulsione.

Nũ morbi hæreditarij p lapidé curari possint.

Asseritur pars affirmatiua.

Ratio prima, q a humores prauos separat, & expurgat,

Deniq; dubium valdè est vtrum hoc remedium morbos hæreditarios percurare possit. Quidam negant, quia totus sanguis à prima corporis conformatione malam qualitatem sortitus est, vt in podagrico ex hereditate phlegmaticus genitus est, in leproso, & elephantiaco adustus, & sic de alijs morbis. Verùm hæc sententia repugnat apertissimæ rationi, quæ conuincit etiam hos morbos vi lapidis facilè superari. Primò, quia lapis hic, & aurum, cum sit amicissimus naturæ, & maximè temperatus, vtique illam ita disponet, vt quod incoctum in sanguine reperitur apposité coquat, & bonum ex

eo gignat ſanguinem; quod verò plùs iuſto coctum; atq; ideò vel bilis flaua naturalis, vel aduſta, vel aſſata melâcholia eſt, à puro ſanguine ſecernat, ac per conuenietes regiones expurget, ſed in hoc conſiſtit pars curationis horũ morborum, ergò quoad hoc hæ ægritudines hoc medicamento curationem admittent. Secundò cum hæc humorum, & ſanguinis rectificatio non ſufficiat, ſed prætereà neceſſe ſit partes roborare, & ad connaturale hominis temperamentum reducere, & tertiam corporis regionem, atq; adeò totum corpus in lepra, & elephantiaſi, & articulos eodem modo in podagra, articulorumq; morbis omnibus: lapis autem virtutes quatuor naturales, nutritiuaq; miniſtrantes vegetas reddat, & conſeruet, ex quibus partes maximè roborantur, patet etiam quomodò hæc ſecunda intentio per vim lapidis compleatur, cum attractiuam lapis modificet, retentiuam iuuet, concoctionem firmet, ac expulſiuam promoueat, & toti corpori temperatum temperamentum impertiatur, ex quo humorum innaturalium generatio prohibetur. Sic in podagra articuli humore frigido plùs iuſto non imbuentur, quaproptermaiorem humorum copiam, quàm neceſſe ſit non recipient, expellendos expellent, atq; ita morbus ex ipſis non poterit progigni. Secundò probatur: quia etiamſi totus ſanguis infectus non poſſit ad temperiem debitam reduci, tamen lapis agendo in naturam illam attemperat, ergò attemperatà temperatum ſanguinem generabit, ac proindè temperatiores vniuerſæ corporis partes reddentur, quippe quæ temperato ſanguine, non vt prius, nutriantur: ſanguis autem prior à natura corroborata ſenſim digeretur, & ſic incoctus vlterioris decoctionis beneficio temperatus fiet;

Quia partes corroborat, ne humores recipiant.

Ratio ſecunda.

qui autem maiorem, quam sanguinis natura requireret, coctionem nactus fuerat, sensim digeretur, & è corpore propelletur non secus, ac multæ biliosæ, vel melancholicæ excretiones spontaneæ fiunt criticè in febribus, vel biliosis, vel quartanis. Ex his euidenter colligitur aurum potabile morbis etiam hæreditarijs præsentissimum afferre auxilium. Dices si hæc vera sunt, & lapis de sene iuuenem facit, vt docet Arnaldus dum loquitur de hoc lapide, siue auro potabili, ergo ex vsu illius homo fieri poterit immortalis, hoc autem affirmare temerarium nimis esset. Respondeo falsam esse sequelam. Pro quo scito hominem nutriri sanguine redeficiente, non autem auro potabili, quod est ferè incorruptibile, & solùm naturam roborat ad expellendas superfluitates, & concoctionem optimam perficiendam. Aurum enim potabile est de prima impositione mixtorum, vt cum bonis illis viris loquamur, quare non potest esse animalium cibus immediatus, cum proportionem non habeat cum animantibus: id si esset Nestoream vitam, & longiore ducere posset. Mitto hic de industria Doctorum alias rationes, cur id fieri non possit. Exhibetur cum aquis stillatitijs, vel decoctionibus rerum, quæ morbis, & affectis partibus ex methodo respondeant, vt fusiùs videre potes apud Campesium in direct. summæ summarum medic. ex Villanouano. Dosis autem erunt guttæ quatuor, quinque, vel sex habita ratione sumentis. Addo & hoc, nempè virtutes auri nihili faciendas esse, si cum viribus auri potabilis conferantur. Id patet ex eo, quod vis auri in eo quasi sepulta est, vt ex iam dictis constat, in auro verò potabili sunt apertæ, imò ipsum nihil aliud est, quàm virtus ipsa auri. Deinde auri limatura non

Quomodo per hunc lapidé homo non possit fieri immortalis.

Quomodo lapis exhibeatur.

Dosis.

Aurũ potabile auro minerali efficacius. Ratio 1. Secunda.

potest quasuis corporis particulas permeare, id autem facit aurum potabile ob sui tenuitatem eximiam. Tertiò aurum commune non perfectissimè separat à se scoriam, ergò non faciet in corpore humano, quod in se nequit perficere. Quartò aurum commune, quo vsi sunt aurifices in suis operibus, viride æris in superficie tinctum est, & tamen hanc tincturam statim à se non depurat, licèt naturæ suæ sit aliena, ergò imbecillæ etiam illius vires erunt in corpore humano, nisi calore naturali ad actum faciliùs deducatur. Hæc vt probant imbecilles vires auri vulgaris, ita potabilis miracula naturalia patefaciunt, nam ipsum perfectissimè, & in ictu ferè oculi imperfectorum metallorum superfluitates corrigit, eaq; perficit, qua re maximè penetrat, & reliqua facilè efficit, quæ sunt à nobis superiùs commemorata. Tertia. Quarta.

Cum tot, ac tantæ sint huius auri potabilis virtutes, dicet aliquis quonam pacto id fiet? quid enim famem acuas, quam cibo postmodum non depellas? Respondeo varias tradi à multis eius faciendi descriptiones, sed quædam commodè in vsum reuocari non possunt, quædam intellectu difficillimæ, paucæ fortassè de hucusq; traditis ad optatum finem perducunt, si earum cortex præsertim solus consideretur. Paulò facilior est, quam Gerardus Dorneus in fine suæ Philosophiæ speculatiuæ descripsit. Ab eo talem accipe. Auri potabilis parandi ratio.

Auri potabilis descriptio.

R Ec. auri foliati, vel puluerati vnc. 1. hoc in succum resoluatur, addes aceti distillati q. s. distilla postmodùm, & ab inuicem separato. Tan-

dra hoc facito, donec adiunctorum nihil saporis maneat; deinceps in aquæ vitæ vncijs quinque immergantur omnia simul, & in pellicano per mensem digerantur.

Eius aquæ vitæ descriptio talis est.

RECIPE. vini ardentis libras decem, rosarum, melissæ, rorismarini, anthos, cheiri, fol. vtriusq; hellebori, maioranæ ana M. vnum, cinamomi, maceris, nucis muscatæ, cariophyllorum, granorum Paridis, piperum omnium, cubebarum ana vncias duas, succi chelidoniæ, tapsi, melissæ ana vncias sex, cinerum fabarum vncias quinque, commisce, permitteq; digeri per pellicanum duodecim diebus, separa tandem, & vsui reseruabis, quem suprà ponimus.

Olei Solis descriptio.

POstquam vt suprà dictum est, aurum in succum per acetum redactum fuerit, bulliat per quindecim dies in sequenti digestione, posteà separetur in B. M. volatile, & remanebit in fundo fixum oleum auri purum.

Corpus digestionis hoc est.

RECIPE. succi chelidoniæ libram vnam, & aquæ vitæ circulatæ partem æqualem, vel paulò plùs, resoluantur in spiritum, quibus auri misce tres vncias; deinceps fac vt suprà dictum est. Hæc ille, qui putat veram se tradidisse auri potabilis veri parandi methodum. Ex Vlstadio vnam rationem verè opti-

ma in habes. Aliam ex alijs secretioris naturæ indagatoribus rationem, falsam licet, maximi tamē momenti, in medium afferam ex Penoto de medicamentis Chemicis. Ea est huiusmodi:

Rec. limaturæ auri vnciam mediam, quam in vas vitreum inde, & desuper oleorum camphoræ, cariophyllorum, fœniculi ana, olei vitrioli guttatim vnciam mediam, statim tota illa materia vertetur in rubrum colorem fumum satis magnum excitans, vbi tamen nulla fit auri solutio, imò tale quale posuisti idem reperis. Negant tamen hoc falsum aurum potabile exhibendum esse, quia

Castrat per nares odore

Camphora mares.

Sed hoc non placet ob ea, quæ de camphora elegantissimè disputauit contra Cardanum Scaliger exercit. 164. num. 8. quapropter censeo magnifaciendam esse compositionem hanc, vtpotè quæ aliquo modo auri potabilis legitimi vires æmuletur. Ex his quæ hactenus disputata sunt mirum non est hanc autem ita abditam esse, nam pulchra rara: cur etiam Chemici tot nominibus hunc suum lapidem honestarint. Etenim si hæc vera sunt, vt rationi consentanea videntur, meritò cum illis dicemus esse donum altissimi, puluerem regium, sal fusile, oleum, siue sulphur naturæ non vrens, terram benedictam Philosophorum, aquam vitæ, admirandam tincturam, lapidem pretiosum, Indicum, Philosophicum, & medicinarum omnium medicinam, vt alia sexcenta mittamus.

Camphora mares non castrat. Lapidis nomina.

Hinc facilè soluitur eorum dubitatio, qui inquirunt, vtrum aurum arte Chemica paratum vendi possit pari pretio, ac naturale. Si enim legitimum, & naturali nihil cedens secundum examina supra

Aurum artificialenum vēdi possit æquali pretio ac naturale.

descripta pareretur, cur pro legitimo auro non poterit vendi? an quia vt quidā D. D. iudicarunt non habet vires medicas auri naturalis: at hoc supra reprobauimus auctoritatibus virorū doctissimorū rerum naturalium peritissimorū, & rationibus vrgentissimis. In his autem doctis, & practicis Philosophis credendum est, ex quorum propositionibus iuris conclusiones sunt deducendæ. Si autem deficiens aurum fiat, quidam pro falso vendi posse putant, vt fuci meretricibus abusuris, quibus tamen cum Mirandulano vix assentirer, quod multi auri experiundi imperiti decipi facilè possint, & adulterinæ monetæ cudendæ facilis via paretur.

Cur principes nō habeant magistros lapidi huius.

Hic rogabit aliquis primò, si possibilis esset hic lapis, qui homines ferè immortales faceret, & esset medicamentum adeò cordiale, vt suprà diximus, & eius artem multi scirent, cur apud Principes non habeatur, qui pretiosissima quæque sectantur, nec vllis parcerent impensis ad tantam medicinam sibi comparandam. Respondeo Principes ipsos vix inuenire peritos artis huius, qui communiter lucem oderunt, & liberiùs viuant. Secundò dico multos etiam esse, qui adulterinis operibus dent operam, qui Principum conspectum fugiunt, ne deprehensi sceleris dent pœnas. Tertiò denique multos reperiri, qui particularia quædam artis arcana teneant, qui verò artis magisterium à principio ad finem nouerint, rarissimos esse. Id si ita vulgare esset, vt olim, possent profectò libris suis, & arti valedicere Medici, nullus enim eos consuleret, nam sibi ipsi, vitæq; suæ quisq; abundè consulere posset assumpto auro potabili. Id fortè fuit causæ, cur antiquitus rarissimi essent qui Medicinam profiterentur.

Secun-

Secundò vrgebit, quia si ars aurum naturali perfectius facere posset, naturam vinceret, at illam tantùm imitatur ex 2. physic. tex. 22. & cap. 3. libri 4. meteor. & ignem, quo ars vtitur parem non esse igni naturæ docuit Aristoteles lib. de spiritu cap. 5. & artis imitationem eam esse, quæ nunqam perfectè naturam exprimat communiter docent Philosophi. Respondeo in hoc opere artem esse instrumentum, & ministram naturæ, quæ est principale agens, vt benè docuit Arnaldus cap. primo libri de lapide Philosophorum. Præterea dico artem seorsim à natura consideratam à natura in operibus longè superari, cum natura verò coniunctam perfectiora posse, quam possit natura. Sic arte quędam superamus, à quibus natura vincimur ex Philosopho initiò quæst. mechanic. & 2. physic. quædam arte perficimus, quæ natura facere non potest. Sic quos natura fructus non ferunt arbores, & flores, quos herbæ negant hyberno tempore, artis ministerio eadem natura etiam in frigidissimis regionibus producit. Natura gignit aurum perfectum, at eadem auxilio artis illud idem quòad colorem, splendorem, mollitudinem, & alia accidentia magis, ac magis potest perficere: nam ratione formæ substantialis perfici non potest, cum substantia non suscipiat magis, & minùs ex Philosophis. Hic ergò non agit ars sola, sed natura ipsa arte gubernata, ac roborata sublatis agendi impedimentis, Et hoc est, quod supra diximus, arte naturam superari.

Quomodo ars aurum melius naturali possit facere

Quomodo ars faciat perfectiora, quam natura.

Ex hac ergò disputatione breuiter in vsum medicum hæc colligo.

Primò aurum, si per artem fiat legitimum, qualę

nos suprà descripsimus, verè esse pharmacum cordi amicissimum.

Corollarium primum.

Corollarium secundum.

Secundò auro vulgari monetarum nullo pacto vtendum esse in medicamentis, & in decoctionibus nocere; sed maxima damna posse procreare in pollinem redactum cum conseruis assumptum. Quare curandum esse, vt aurum habeatur in hunc vsum purum, & ab alijs metallis separationis aqua separatum, vel quod satius erit catillo cinereo, vel cœmento regali ab omni sorde purgatum.

Corollarium tertium.


Tertiò denique Chemicam artem allatis omnibus non obstantibus, maximè medico fugiendam, nisi quis cum diuitijs honorem velit profundere. Medicamenta tamen Chemicæ præparata summa laude esse celebranda, & in communem vsum admittenda, vbi alia æque apta non habeantur. In qua tamen re, sciendum est, duo esse medicamentorum genera, mineralium nempè; & vegetabilium, vel animalium. Mineralia communis schola medicorum refugit, vtpotè quæ vehementia, & vim paulò acerbiorem naturæ inferentia, plùs iusto exiccantia, vt propterea ad ecthicam, vel aliam radicalis humidi consumptionem deueniant. qui crebriore illorum vsu delectantur: itaque vegetabilia, & animalia Galenici sectantur, imò & clementiora ex ijs, raro enim peplium, elleborum, mezereon, thithimali species in vsum reuocant, sectantur autem rosas, violas, rheumbarbarum, agaricum, & alia huiusmodi. Dico itaque summa laude dignos esse illos Medicos, qui Chimicas adhibent præparationes medicamentis ex vegetabilium, & animalium familia depromptis, vtpotè quæ noxios humore è corpore blandè queant de-

Medicamenta mineralia nõ admittũtur & cur.

Chemicç preparationes medicamentorũ vsitatorũ ex animalibus, & vegetabilibus laudantur.

turbare, & ſine nauſea ab ipſis etiam delicatulis aſſumantur. Talia ſunt caſſiæ, rheibarbari, ſenæ, agaricique extracta, tales ſunt quintæ eſſentiæ, ex diaphænicone, & catholico, vel diacartamo, aliiſque purgantibus electuarijs elicitæ, quæ non proſequor fuſiùs, quod à viris doctiſſimis vberrimè peti poſſint.

FINIS PRIMI LIBRI.



IACOBI CARANTAE
CVNEATIS
Doctoris Philosophi, & Medici

DECADVM MEDICOPHYSICARVM

LIBER SECVNDVS
DE MORSV CANIS RABIDI.

Opus à nullo adhuc pro dignitate explicatum Philosophis, Medicis, & naturæ paulò secretiora rimantibus omninò gratum, & necessarium.

AD ILLVSTRISS. COMITEM

FLAMINIVM
EX VILLA FALLETORVM.





SAVILIANI,
Apud Christophorum Strabellam. M. DC. XXIII.

Superiorum permissu.

Illustriss. ac Generosiss. Comiti

FLAMINIO

EX VILLA FALLETORVM,

Magno Oeconomo Serenissimi Sabaudiæ Ducis Domino suo amantissimo.

Iacobus Caranta Philosophus, & Medicus S. P. D.


IVRE semper Hesiodum non solum Poetam eximium, sed sapientissimũ virum à tota antiquitate habitum iudicaui cũ alijs multis de causis tùm ea potissimum; quòd Deorum exprimens mores paupere thüre contentos illos esse statuerit, licèt hominibus continua, & infinita, eaq; maxima beneficia largiantur. Ijs similes Reges statuit, à quibus idem cum subditis factitari nemo non videt. Ego huic clasi Dynastas fortè non inscitè adnectã, qui liberalitate, magnificentia, beneficijsque conferendis contenti Gratias virgines

conſeruant, non autem faciunt meretrices. Inter hos cum certo certius ſciam te annum erari, vir nobiliſſime, litare tibi modico farre nō dubito. Equidem tuam in me beneuolentiam, & officia dum animo euoluo, pro rependēda gratia ea, quæ habeo, & multò plura ſi referrem, longè imparia tuis in me officijs eſſe omninò cognoſco. Et licèt imbecilles vires pro referenda gratia, tuoſque Dynaſtæos mores mecum ipſe reputans apertè intelligam, in eam tamen adducor mentem, vt non verear tibi hoc munuſculum grati duntataxàt animi ſignum, & meæ in te voluntatis pignus, licèt tenuiſſimum dedicare. Quis enim vitio iniquus rerum æſtimator vertet, ſi Lycurgi legibus inſiſtendo, qui apud Lacedemonios tenuiſſimas litationes Dijs conſtituit, Comiti nobiliſſimo exiguum munuſculum à me conſecretur? Memini legiſſe nihil magnificum, nihil precioſum ab antiquis ſuis olim Dijs fuiſſe conſecratum: Nimirùm in

tel-

telligebant aurum, argentum, preciosósque lapides: ſterilis terræ morbos, ſeu ganglia, ſuperis non arridere, qui ſinceram mentem, incorruptamque voluntatem potiùs à nobis quærũt, quàm aurum, vt propterea Apollini ab Eriſichtone, & Iunoni à Pera ſtatua lignea fuerit poſita. Quid enim aurum ijs offeratur, quibus totius orbis aurum facere ſatis nequit? mens ſincera negetur, quæ ſola ſine auro ſatis, ſuperq; eſſe poteſt? Ita ego cum ſtudio meo valdè inferiores vires meas agnoſcam, ita vt ijs ne minimam quidem tuorum in me meritorum partem perſoluere poſſe, verè ingenuèque profitear, ſic ſtudiorum ipſorum exiguum fructum, animi erga te mei tenuem indicem tibi conſecro, & dico mentem in me ſinceram, non aliud inſpecturo. Oro, atque obſecro te, Comes præſtantiſſime, vt hæc qualiacunque ſunt, ne contemnas, ſed pro innata tua benignitate foueas, æmulos, & Zoilos, ſi qui fortè erunt in

me iniquè, vel librum oblatrantes, auctoritate, & dignitate tua compescas, meque, vt semper fecisti, tueare tuum semper omni iure futurum. Vale, & incolumes annos centenos viue. Cunei die 20. Iunij 1623.



DE RABIDI CANIS MORSV LIBER.

AVCTORE

IACOBO CARANTA

CVNEATE

Doctore Philosopho, & Medico.

PROEMIVM.



NTER reliqua, quæ admirabilitatis plena in hoc orbe rerum omnium opifex constituit, iure meritò admirabilissimum esse canem sapientum pleriq; omnes iudicarunt. Etenim præter cætera miracula, quæ in hoc animali visuntur, illud vnum imprimis de cane dici posse mihi videtur, quod de lingua dixit sapiens ille, & optimum ferè, & pessimum omnium animantium esse. Optimus quidem videbitur canis, si quæ in eo sunt miracula contemplemur. Quid enim illo admirabilius dum contentione admirabili aduersus latrones pro suo domino pugnam depugnat? Plin. nat. histor. lib. 8. cap. 4. quoties agnitum domini percussorem laniatu, & latratu fateri scelus coegit? genus etiam quoddam canū 1.

Canis optimus & pessimus.

Cur optimus.

fures odoratu cognoſcit,& à cęteris hominibus implacabili odio diſcernit Iſidoro. Nonnè ſolus dominum ex brutis, ſolus nomen ſuum, ſolus vocem domeſticam agnoſcit? Nonnè itinera quamuis longa recordatur? & cui, præter hominem, memoria maior? quanta illius prudentia, dum currens, Nilum amnem lambit, ne crocodilorum auiditati occaſionem præbeat, & in multa loca intrare renuit, Plin. nat. hiſt. lib.6. cap. 28. quæ ſibi ſummo futura exitio pręcognoſcit?quāta in venatu ſolertia?quanta ſagacitas? quid quod odore hominum multò agnoſcunt, Cardan.de var.lib.7. cap.33. quid quod feras eas de longè ſectantur, quas olfactu ſolo percipiunt? Deniq; eius eſt naturæ prodigioſiſſimum hoc animal Dial. 2. de rep. vt erga familiares,ac notos mitiſſimus ſit, efferatus omninò contrà hoſtes, & ignotos, & cognitione, at ignorātia domeſticum diſcernat ab extraneo, quod diuinus ipſe Plato admiratur? tuetur domum, caudâ,crure,capite,ſignis, geſtibus veniēti domino adgaudet, gratulatur, adulatur. Quid deinde tam prodigioſo animante vtilius?conſtat enim canino ſanguine vtilius nihil contra toxica poſſe reperiri, ſi Plinio fides eſt habenda lib.29.cap.4. Quid ad bonam valetudinem conducibilius vomitione? at eam homines canis edocuit. Nonnè cinis eiuſdem capitis ſedis eſt vitijs efficaciſſimus eidem lib. 30. cap. 8? Nonnè herba, iuxta quam canes vrinam fundunt euulſa, nè ferro attingatur, luxatis celerrimè medetur Plinio lib.25. cap. 19? quid quod adeps nigræ canis iјs, qui ex rabidi canis morſu timorem aquæ incurrerunt valdè prodeſt Galeno 2. de Antid. cap. 11? mitto ſtercus eorundem, quò Galenus 10.ſimpl.med. & ad anginam propulſandam, & dyſſenteriam, & ſummè inuete-

Pruden canum.

Canum vtilitas.

ratis

ratis vlceribus sanandis vtitur, vt miraculum propemodum videatur? Verum enim verò (quæ misera est rerum omnium humanarum conditio) in quo tot sunt, quæ admiremur, reperire est etiam, quod quæramur. Quid enim peius cane, si rabie corripiatur? tunc enim nec domesticos, nec dominum agnoscit, sed illum priùs venenato morsu petens, in vltimum vitæ discrimen perducit. Veneno tàm tetro, tàm pernicioso, adeò incurabili, vt acerrima quæq; medicorum ingenia non mediocriter vexarit, neq; adhuc fortasse ad tantam labem propulsandam antidotus idonea, & sufficiens sit inuenta. Quæ omnia palam fient ex ijs, quæ in tota hac disputatione sumus explicaturi, in qua causas, signa symptomata, problemata, curationem quoad per vires nostras, & ingenium licebit prosequemur. Vt ergo ad institutum veniamus.

Cur canis pessimus.

Ioannes Antonius Fissorius Cuneensis, Ioannis Iacobi chirurgi filius eius, qui in eo vico, qui rectà ab vrbis platea ad D. Francisci procedit in angulo primi palatiorum ordinis dextrorsum, dum tribus ferè ante mensibus in Portu Herculis Monæci ad Nicæam Prouinciæ esset in eo castello, quod à Sancto Spiritu nomen habet, casu à catello quodam in radice pollicis dextræ manus demorsus est, & à socio commilitone triduo curatus à vulnere superinposito balsamo, & pelle canina. Degit ipsos menses tres incolumis, quorum duobus ferè elapsis Cuneum reuersus est. Deniq; octauo Kalendas Aprilis anni 1615 segnitiem quandam, & torporem, ac mœstitiam in se ipso expertus à cibis tantisper copiosioribus abstinuit. Cum autem nocte, quæ insequebatur, septimum Kal. April. maiorem molestiam persensisset, manè iussit me vocari. Domum

Historiæ narratio cuius occasione scriptus est hic liber.

illius diuerto; cubantem inuenio tota facie inflammata, fronte satis copioso sudore madefacta. Quid rei sit exploro. Tum ille febre grauissima tota nocte vexatum se fuisse cum multo sudore, insuper formicas quasi quasdam toto corpore se persentiscere asseruit. Explorato pulsu febris expertem inuenio: bonum illo animo esse iubeo. In memetipso causam contemplans, vix inueniebam quonam morbo laboraret. Demum ea recordatus quæ Galenus habet art. medic. cap. 82. sudores plures nimirum, quàm conueniat, futuri morbi signum esse, optimum duxi, cum præsertim iidem cessassent, minoratiuum, quod appellant, pharmacum præscribere, vt feci ex catholico, quod tunc in bolis cum saccharo deuorauit hora duodecima. A prandio, ad eundem redeo, & multa egessisse reperio: manum insuper, & brachium dextrum, quod veluti inchoata quadam paralysi torpidum manc habebat, contrahere, & diducere ad libitum absq; vlla difficultate conspicio. Par huic dolor contigit in Iuuene demorso in annulari digito à cane rabido, qua parte læsus fuerat in humero, ita tamen, vt quà quà vellet brachium moueret; vt in hoc nostro etiam comperimus, vt videre est apud Dodonæum cap. 12. obseruationum, & consimiles in brachijs dolores passi sunt ijs quorum historias ex Marcello Donato sumus infra descripturi. Prandebat tunc temporis, matre autem in os ingerente panis frustulum aquæ infusum, conuulsiuum quendam motum frigidum auertantis animaduerto: rei causam apud me inquiro, veneni suspicio statim oboritur canis rabidi. Ergò percontor ex eo num à rabido cane demorsus alias fuisset. Ille constanter negat. Tum illum confirmo, & nihil timendum assero, si ita res

se haberet; Mutuis interim cōfabulationibus quartam horæ partem cum traduxissemus, affirmat se in portu Herculis Monæci à catello pulcro, & gratioso demorsum; sed id tribus ante mensibus. Tum ego constanter affirmaui rabiem illam esse, quippè quæ sæpè non solum menses, sed & annos occultetur, antequàm sui signum præbeat, vt fusius infra; idq; multo magis credidi, cum ipse asseruit canem habuisse ctus totum vlcere pessimo inquinatum. Sciebam enim ex huiusmodi causis sæpè rabiem excitari. Et certior factus sum assumpta amphora frigida plena, etenim ex eius visu terrebatur, huc, & illuc vertebatur, atq; adeò côuelli videbatur, quod certissimum est hydrophobiæ signum. Ergo statim cunctandum non esse pronuncio. Patrem, qui in Villa proxima erat vocari iubeo crescente in horas singulas morbo, nulla tamen adhuc febri. Aduenit Pater, & rerum medicarum non ignarus, filij miserandam calamitatem deplorat, mortuum esse, nullamq; superesse spem clamat. Audit filius, confessarium illico ad se vocari iubet, interim mittitur sanguis de basilica dextri brachij ad vncias decem, syrupi conuenientes propinantur fumariæ, de cort. citri, & borraginis simul mixtis sine aquis, à quibus maximè abhorrebat. Me inscio, & absente pater iterum vulneris locum in manu aperit, cauterio vrit, cucurbitulam admouet. Tum ad antidota deuenimus Theriacam, Mithridaticum, lapidem bezaar, terram lemniam, cinerem cancrorum vstorum, cornu vnicornis, & alia. Tamen morbus, & veneni vis in singula momenta inualescebat, paroxismis identidem agitabatur trium, vel quatuor horarum; quibus efferatus, vel verberabat adstantes, vel morsum caninum intentabat. Tertio die, idest

Dominico accessi ad eundem cum Domino Georgio Merognio viro singulari doctrina prædito, & ætate, sapientia, ac longo vsu multis nominibus digno. Iubemus mitti in aquam nihil tale cogitantem, sed id factum non est. Nihil præterea innouamus, sed in superioribus persistendum esse acriter monemus. Vespere febricula laborantem inuenio, venenumq; iam cordis arcem tentasse pronuncio. Sequenti die reuertor à prandio, correptum à grauissimo paroxismo intueor, patrem seorsim alloquor, vltimum quoddam remedium propono, ad quod parandum pater statim cum reliquis se se accinxerunt. Sed cum ibi essem petijt pater num leuis aliqua subesset vllo modo spes; proposui Auicennæ lib. 4. fen. 6. tr. 4. cap. 7. experimentum, vt nimirum videret nũ æger, & se videre vellet, & agnoscere posset in speculo. Tentat pater. Renuit omnibus modis vinculis alligatus filius: instat pater: ægrotus autem, vt se speculi molestia liberaret in patris vultum primò expuit, tum ex alia parte in meũ. Ego autẽ saliuę virus optimè intelligens, satius duxi abire pulsu nõ explorato, ac in loco salitia contacto mihi ipsi consulens. Subijt enim in mentẽ mulier Delphensis hoc morbo laborans, quæ multos sua salitia infecerat, qui omnes curati sunt à Foresto lib. 10. obser. 28. de quo nos infra. Interim inclamabat æger: mori se velle pronunciabat: mirum in modum vi sæua torquebatur, paucis ante horis magnam copiam viridis, & æruginosi humoris euomuerat: copiosissimè sudabat, adeò vt tota facies liuido quodã splendore, & atro lumine illuceſceret, sæpiùs spontanea conspiciebatur pollutio, quod accidere in huiusmodi passionibus docet Auic. libro 4. fen. 6. tract. 4. cap. 7. hunc clamore, illum iocosis vo-

cibus, vel clamoribus incessebat, mox in tanto labore, dolore, tam grauibus symptomatibus animã Deo efflauit tertio Kal. April. hora vigesima prima, quarto à morbo die, tam prodigiosum mortis genus cunctis admirantibus. Hæc itaq; causa fiet, cur ad hæc scribendum me contulerim, & causas, symptomata, signa, curationem, & reliqua, quę hac in re dici mihi posse videtur, & ad curationem prodesse, aperienda. Vt autem in hac disputatione ordinem propositum ab Aristotele seruiemus, quęremus primo.

NVM CANES RABIANT, & an soli, & quinam ad rabiem proclitiores.

CAPVT PRIMVM.

PRIMO huius capitis quesito facilis est responsio, quæ affirmatiuam adstruit partem, quod & ratione, & experiẽtia probari potest. Quotus enim quisq; est, qui canes multos non viderit rabie correptos? quis multos etiam rabidi canis morsu in grauia pericula redactos? deinde certum est biliosissimæ esse temperaturæ canes, & adustioris, nam siccum esse docet Galenus cap. 5. & 6. primi de temperamentis, & lib. de attenu. victus ratione cap. 8. calidum verò esse, ac siccum ac proinde gracile, idem asseruit lib. 2. de simpl. medic. facult. cap. 20. quæ fuit causa cur 10. meth. cap. 3. iuuenem gracilem, ac musculosum cani compararit, licet Gordonius vir alioqui doctissimus particula prima de febr. cap. 17. velit animal esse frigidum, & ex aduentitia caliditate, in æstate in rabiem agi, quod falsum est, quia hyc

Canes rabie capiuntur.

Canis est sicci tẽperamenti. Canis est calidus.

Gordonij opinio, canẽ esse frigidum. Conuellitur.

me non corriperetur hoc affectu, cum animal frigidum natura, à frigido non videatur posse hoc modo alterari, simile enim simili potiùs gaudere debet, quàm lædi. Porrò, huiusmodi animal quis non videt etiam. Melancholiam omninò passurum ex bilis naturalis adustione? hoc ita esse apertè patere potest ex eiusdem liene, qui vt leonis etiam nigerrimus est Gal. de Anat. administrat. libro 6. cap. 10. tum ex eo etiam, quod eius caro in cibum assumpta succum gignit melancholicum, vt & leporina teste Gal. 3. de locis aff. cap. 7. huiusmodi porrò complexionis animal ad rabiem pronum esse super calfacto ab accensa bile humore melãcholico adusto nulli dubium esse potest. Alexander etiam summus Philosophus problemate 76. vult canes æstate rabire ex habitudine sicca. Sic illorum humores excalefacti, & magis ac magis exiccati insaniam inferũt & præter hanc etiam rabiem. Inflammatos esse valdè tunc temporis colligimus ex frequenti anhelitu, igneis oculis, hiatu oris, quem ad attrahendũm, inspirandumque aerem apertum semper habent, vel ex eo, quòd eorum cauda ob siccitatem motu naturali potiùs, quàm animali incuruatur, & marcescit. Adde, & peculiarem aliquem Syrij, aliorũque, syderum influxum, quæ omnia vehementiùs simul conspirantia rabiem possunt in animali ad illam disposito excitare. Doctissimus etiam Scaliger exercit. 274. in Cardan. credit rabie canes efferari ex siccitate, canem verò frigidum esse temperamento, primò, quia nullum animal celeriùs friget, aut tremit. Deinde quia libentissimè apricatur. Præterea, quia excalefactus ad solē paulisper vmbra captata mox redit ad solis radios, vel in ipso solstitio. Quod verò facilè inflammetur, quod citò senescat,

Canis atra bile abundat. Lien canis niger est.

Canes ex siccitate potissimum rabiem contrahunt.

Scaligeri opinio canes esse frigidos.

alacritatem deponat, rabiem concipiat causam esse siccitatem affirmat, ob quam ad iram est maximè procliuis, quæ tamen dicitur esse sanguinis efferuescentia circa cor à Philosophis. Quamquam hę Scaligeri rationes non magnam habēt vim. Cum enim breues canis habeat pilos, & totum ferè vētrem depilem, & ea potissimum loca glabra, quæ sita sunt propè partes genitales, & habent maximum cum toto corpore consensum, & ad efficiendum totum corpus plurimum valent, vt in euiratis est videre; quæ loca etiam raram admodum sortita sunt à natura texturam, non est mirum, si facili negotio canis quasuis aeris paulò inclementioris iniurias persentiscat. Quæ maiorem probabilitatem ex eo habere videntur, quòd canes semper aquam bibunt, humi semper iacent innocuè, quod non æquè benè perficerent, si frigidum haberent temperamentum ex eoq; etiam fit, vt quauis occasione frigeant, tremant, libēter apricentur, & alia huiusmodi faciant, quæ Scaliger obijcit. Sed hæc Scaligeri doctrina, facile alijs eiusdem historijs conuellitur. Scribit enim de subtil. ad Cardanum exercit. 202. num. 6. hominem quendam venatorem in monte niuibus obruto confidentem frigoribus obriguisse, cane, quem comitem habebat, superstite, & magna alacritate ita in frates, & notos, qui defuncti heri corpus quæsitum venerant, insurgente, vt prostrauerit aliquot, vnum, aut alterum penè lacerarit, cæteros in fugam conuerterit. Si ergo gelato heri corpore, innocuus persistit canis contra tantam frigidissimi aeris inclementiam, quomodo canis temperamento frigidus assereretur? maneat itaq; canis temperamētum esse calidum, & impensè siccum, vt Galeno nostro placuit. Sed vtcunq; hæc se habeant, vtrum

Solutio rationũ contra Scaligerum. Scaligeri confutatio.

Scaliger parum sibi constat in asserendis canibus frigidis.

demum sit verum, certum etiam erit, multa animalia corripi posse rabie, quod videtur contra Galeni leges. Is enim 6. de loc. aff. cap. 5. vt explicaret eas noxas, quæ indiscriminatim corporibus humanis accidunt ex semine retento corrupto, quod licet modicum sit, tamen quia retentum, indeque corruptum, & putrefactum immedicabilium ferè morborum causa existit, comparat illud salinæ canum rabidorum, quæ licet exigua, incredibilia tamen symptomata solet excitare, & habet hæc verba: quum enim reliquorum animalium nullum à rabie capiatur, solus canis eo affectu corripitur, atque tanta fit in ipso humorum corruptio, vt solum eius sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare possit. Et tamen auctores ferè omnes, qui de rabidis animantibus scripserunt, non canes tantùm in rabiem efferari, sed etiam Mustellas, Vulpes, Simias, Lupos, Mulos, quorum multi rabidi facti momorderunt dominos suos, qui incurrerunt maniam, quæ accidit ex reliquis rabiebus, vt ait Auicen. libro 4. tract. 4. fen. 6. cap. 6. Dominus Antonius Cagnolus Fossanensis medicus doctissimus catum, seu felem vidit rabidum à cane rabido priùs non commorsum, vt ipse mihi narrauit. Rabiunt etiam cati Baccio de venenis, & antidotis: imò Valescus de Tharanta vult cati, murium, & animalis eius, quod dicitur Ioyra, etiam nō rabidorum malum valde esse morsum, & aliquo modo venenosum lib. 7. cap. 39. viuerræ fiunt etiā Matthiolo in lib. 6. Dioscor. cap. 36. Imò feles ipsi morbo etiam comitiali corripiuntur, vt obseruasse Aloysium Mundellam docet Mizaldus cent. 5. suorum memorabilium num. 78. Leopardi etiam rabie vera corripiuntur ex eodem Valesco ibidem, &

Solū canem corripi rabie docet Galenus.

Alia animalia etiam rabiunt, vt Mustellę Vulpes, Simij, Lupi. Muli. Cati.

Leopardi.

Feles syluestres. Galli. Equi. Camelli. Asini.

cati syluestres (gatti maimoni,) Galli itidem, quorum morsu triduò hominem interfectum conspexit idem Baccius loco citato; Equi teste Arist. 8. de hist. animalium cap. 24. & camelli ex Fräcisco Valeriola obseru. lib. 3. obseru. 3. & Arist. lib. cit. cap. 22. & multi Valesco loco citato. Sed asini etiam in rabiem proni sunt, quod paucos video animaduertisse, excepto Aurel. & Albinz. lib. 1. pract. tract. 9. cap. 16. audiui enim ab amico fide digno Caralij in opido nobili non longe à Cuneo, hominem quendam ab asino demorsum fuisse, asino priùs vicissim commorso à lupo, & paucis diebus rabie efferatum perijsse. Quid deniq; quod nullus ferè auctorum notauit (si Theodorum Priscianum excipias, imò Aristoteles contrarium docuisse videtur cap. 22. loci citati) homo ipse rabie item de rationis sede deturbatur, vt propterea morbo etiā eodem afficiaretur ij, qui ab homine demorsi fuerunt, non secus, ac si rabidi canis dentes experti essent? ita Valesc. de Tharanta loco citato ex Auic. lib. 4. fen. 6. tract. 4. cap. 7.

Homo rabit.

Deniq; animalia omnia rabire posse docuit Iulianus Palmarius Constantinus libro de morsu canis rabidi cap. 1. cuius opinio mihi videtur verissima. Nam si omnia animalia plùs rabiunt, quam homo, vt infra ex Aristotele dicturi sumus, & homo ipse ita dispositus est, vt nulla contagione rabidi canis inquinatus, in se ipso venenum hoc hydrophobiæ causam progignere possit, vt mox explicabo, necessarium profectò erit, animalia omnia habere intrinsecam dispositionem ad rabiei generationem, vt canis, in eoq; tantum inter se differre, quòd hoc sæpiùs, hoc rariùs rabie corripiatur, id rarissimè in se tale virus progignat, vt homo, & omnium sæpissimè canis hac labe afficiatur, ex quo factum est, vt

Omnia animalia rabire possunt.

solus vera rabie rabire sic dictus a Galeno. Constat itaq; multò plura animantia corripi rabie, quàm afferat Galenus loco citato, quem in hoc à calumnia liberare possumus modò explicato. Quod enim alij quidam dicunt canes intrinsecam habere dispositionem ad rabiem, non autem reliqua animantia, quare Galeni dictum verum esse, non satisfacit; deberent enim id quomodo sit explicare, nam animalia alia rabie corripiuntur ijsdem ex causis, quibus canis, cur ergò non dicantur habere intrinsecam dispositionem ad rabiem? imò cum videamus multa animalium genera rabie corripi, etiam si diuersi sint temperamenti, consentaneum rationi potiùs credendum videtur posse ex intrinseca causa hoc mali genere pertentari. Si enim frigida, & humida sunt, possunt ab extrinseco siccari, & incalescere, & malignitas fundari insuper calefacto humore frigido, & adusto; si calida, & sicca in feruorem acta siue ex frigore per antiparistasin, siue etiã ex calore extrinseco, aut alijs causis explicandis in furorem agi poterunt. Nisi cum Francisco Valleriola dicas loco cit. non tantam corruptelam cerni in reliquis animantibus affectis rabie, ac in cane, cuius solum sputum rabiem excitare possit. Quasi verò sputum reliquorum animalium non idem faciat, & hydrophiam non equè patiatur commorsus ab homine, ac à cane, vt ex Valesco supra retulimus. Nisi velit quis dicere canem solum ita esse dispositum intrinsecè, vt in rabiem agatur, non autem alia animalia, & canem sumi genericè, non specificè, ac mustellas, vulpes, simias, lupos, catos viuerras, murres, loyram, leopardum canis genericè sumpti species esse hac ratione. Canem solum rabire, alia autem animalia non rabire ex intrinsecà dispositione. Et

Explicatio loci Galenici quod soli canes rabiant.

Cõfutatio huius explicationis.

Alia explicatio loci Galenici.

Confutatio.

Alia aliorum explicatio.

quidem lupos à canibus specie non distingui patere inde potest, quod canes efferati in lupos mutantur ex Card. licet id non valdè placeat Scaligero exercit. 202. num. 1. vt & cicures lupi in canes post multas generationes; ex quo infertur necessariò mutatio sola accidentalis, cum essentialis esse non possit. Præterea aliqui canes vlulant; lupique latrarunt, vt Card. lib. 10. de subtilitate. Ad hæc in valle quadam regionis Angliæ septentrionem versus lupi inueniuntur feris duntaxat infesti, pecori nequaquam, docente Card. lib. 7. de rerum var. cap. 31. vt nihil aliud videantur lupi, quàm canes agrestes, & canes, quàm lupi cicures. Hinc lycisca ex lupo, & catula, & lyncisius ex cane, ac lupa. Idem de vulpe dico, quam specie à cane non distingui planè constat, nam ex canis, ac vulpis concubitu, non sterrile, vt mula, sed fœcundum animal generatur, canis nempè latrans, idque siue vulpes fœmina cum cane masculo concumbat, siue vulpes masculus cum cane fœmina cocat, quod in Scotia est videre ex Card. loco citato verùm licèt hoc aliqua ratione in lupo, & vulpe sustineri possit, vix tamen in his citatis animalibus admittendum videtur, ac nulla ratione in Mulo, Gallo, Equo, Camello, Asino, & homine, qui nullo modo possunt sub canis genere hoc modo sumpto collocari. Itaque alij dicunt canes ex se rabire, alia verò non nisi prius à cane rabido demorsa rabiem pati. Sed hoc primo videtur contrà innumeras experientias, de quibus iam supra, & mox fusiùs patebit. Secunda ratio, quę probat canē rabire posse, in alijs etiam animalibus militat, vt proptereà sit Gal. explicandus hoc modo, vt velit solum canem rabire vulgò loquendo, quia canis vt plurimùm rabit, licèt simpliciter

Lupi à canibus specie nō distinguūtur.

Lupi pecudum amantes.

Vulpes à canibus specie nō distinguntur.

Superioris explicationis confutatio.

Alia Galeni explicatio. Cōfutatio.

Galeni explicatio legitima.

loquendo, alia plura animalia etiam rabire possint; quæ rabire non dicuntur, quòd id rarò contingat; rariùs autem ab ijsdem homines mordeantur. Sed postquam hæc essem commentatus fortè fortuna legens incidi in caput. 2. lib. primi variarum lectionum Mercurialis, qui ita Galenum à calumnia vindicat: Porphyrius, Aspyrtus, Hierocles, & Palladius, qui huiusmodi morbum in equis, & alijs animalibus obseruarunt, Galeno posteriores extiterunt; quare facilè contigit, vt illius tempestate nondum in quopiam alio, quàm in cane rabies innotuerit, vel saltem id nomen tunc non obtinuerit, quod posteriores in alijs animalibus vsurparunt. Nisi dicamus Galenum haud quaquam Hippiatricem exercuisse, & propterea si quicquam in ipsa errauit excusationem mereri. Hæc ille Gal. itaque nundum viderat, aut audierat rabiem in alio animali à cane reperiri, itaque paulò liberiùs eam in solo cane gigni affirmauit, cuius contrarium experientia declarauit, quod non est mirum, neque enim in illa quarundam rerum medicarum infantia potuerunt omnia innotuisse. Quod autem in homine, non secus, ac in cane rabies, seu virus rabiē excitans possit generari iam breuiter est explicandum. Et quidem venena in corporibus nostris suapte sponte progigni posse luculenter Galenus docuit sexto de loc. aff. cap. 5. & in lib. 6. Hipp. de morb. vulg. comment. 6. textu 5. tradidit venena ex improbo victu in corporibus gigni posse, quod etiam docuit Franciscus Vallesius in historiam quarti ægroti Hipp. 3. Epidem sect. 3. & Abraham Seiler apud Laurentium Scholzium epistolarum medicinalium ep. 7. & denuò Galenus in primū Prorh. comment. 2. text. 17. & comment. 3. in 3. de morb. vulg. text. 75. Capinac.

Alia explicatio Mercurialis.

In homine nō secus, ac in cane rabies excitari potest.

Venena in corporibus nostris suapte sponte gigni possunt.

lib. 7. de venenis cap. 1. Valleriola locorum commun. lib. 3. cap. 18. vt alios prætermittam. Sed ratio etiam id manifestè conuincit, nam in mulieribus præfocatione vteri laborantibus semen ita putrescit, vt subitam mortem aliquando accersat ob venenatam qualitatem contractam, & cordi communicatam, ergò illud semen in venenatam materiam conuersum est, ergò venenum in corporibus nostris ex internis principijs gigni potest. Adde quòd hic morbus remedijs propulsatur per tertiam qualitatem agentibus; theriaca, mithridatio, fœcula brioniæ, quæ verum est, & specificum huius morbi alexipharmacum; quod non fieret, nisi semen corruptum tertia qualitate afficeret præfocatas. Ad hæc quis non videt corpora hominum in parte aliqua ita affici, vt omninò veneficam induant naturam, totiusque suis vaporibus ad cor elatis præsentem afferant mortem cum ijsdem omninò symptomatibus, quibus venena solent interficere? id euidenter patet in ijs quibus syderatione correptis ita liuens pars afficitur, vt nisi natura partis affectæ sectione occurratur ob partiū continuitatem ita principes partes contaminantur, vt sæpe paucarum horarum spatio ex hac vita sit illis migrandum. Præterea in peste, pestilentibusq; constitutionibus, nonne humor aliquis in corpore humano latens veneni naturam assumens venefica natura perdit ægrotantes, nonne ille suapte sponte in corpore gignitur? Sed hæ rationes sunt nimis particulares, illa verò vniuersalior manifestè rem totam persuadet. Nam venenum est corpus praua qualitate affectum, ratione cuius homo breui corrumpitur, ergò hoc corpus naturam habeat humanæ omninò contrariam necesse est. Sed talem naturam habet ex hac, vel il-

Ratio prima, id probans.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio vniuersalissima.

la complexione, seu proportione primarum, & secundarum qualitatum, ad quam necessario consequitur talis facultas corruptiua, vt fusius alibi probauimus; vbi abditas rerum causas prosequti sumus. At quis neget in corporibus humanis talem generationem posse contingere? nonnè in eo bilis atra; & æruginosa generatur ex causis præternaturalibus, quç corpus mirè vexant, atq; adeò venenorum ipsorum actiones æmulantur docente Galeno pluribus locis? maneat ergò venenum in corpore nostro generari posse. Et quæ maior est ratio, cur venena aliqua in corpore humano gigni possint, alia; puta virus rabidi canis, seu quid illi simile non possit? an quia Galenus solum canem rabidum fieri assonuit loco supra citato? sed Galenus quid eo loci voluerit iam explicauimus, eamque explicationem ex Galeno ipso confirmo, qui comment. 2. in primum Prorh. tex. 17. non tantùm docuit in vniuersum venena in humanis corporibus generari posse, sed id de veneno rabientium canum peculiariter edocuit his verbis: Non est igitur absurdum vt talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est, & rabientium canum, & medicamentorum tractu temporis longiore corrumpentium, ita vt plerosque Medicos lateant. Hæc Galenus. Sed hominem à rabido cane non commorsum, rabidum fieri posse, & hydrophobicum; experientia iam confirmo multorum exemplorum à Marcello Donato descriptorum medicç hist. mirab. lib. 5. cap. primo vbi hæc habet. In agro Mantuano mense Septembris 1573. Gabriel Nouaria dum prandet nescio quid sibi gulam scalpere existimat: pouillum sumit, vt molestiam abigat, sed potum vel summo conatu deglutire nequit. Sibi ipsi iratus ad situ-

Homo eis intern principijs ex Galeno rabidus fieri potest citrà morsum canis rabidi.

Probatio huius opinionis Galeni per experientiã. Historia prima.

iam aqua plenam accedit, vt meliùs ebibat, sed vix dum labra admouens retrorsum cadit: mox surgit, abit, ea die non cœnat. Postridie eadem omnia, tum in prandio, tum in cœna patitur. Tertia die ad me equo vehitur. In via vuas, & multas, & facilè, vorat. Ego, hisce omnibus ab illo tum auditis, symptoma exploraturus, frigidæ poculum illius ori semel, iterum, ac tertiò per interualla admoneo: amicos ad spectaculum aduoco: toties ille horrescit, tremit, animo linquitur, & in summis faucibus (vt resipiscens refert) suffocatur. Remoto poculo statim ad se redit, mente constat, validus est, non febricitat, nihil prorsus dolet, functiones omnes inculpatæ sunt, vna excepta potatione. Præscribo antidota. Intra triduum mors occupat. Quærendo, explorando, sciscitando nulla huius affectionis euidens causa comperta est.

Mense Maio 1574. Magdalena Blasij Voltensis vxor die quadam dolitat primum collo, tum brachio dextro. Secunda die decumbit cum brachij dolore, ac tremore. Tertia die cessat dolor, tota tamen tremit, nauseat inaniter, sudat, & veluti suffocatur. Si vinum, aqua, iusculum propinatur, conuellitur, ac deficit: oua, ac panem probè sumit, valdè sitit, facultates principes bellè constant. Mitis est animus, placidus est sermo. Non videtur febricitare. Loci chirurgus diuersiones adhibet. Quinta die illa effertur. Historia secunda.

Mense Februario 1575. Dominica Pancalda Virgo annorum sexdecim visa quorundam digladiatione terretur. Ea nocte febris vehemens. Statim in inuasione pustulæ circa labia. Post horas duodenas à prima inuasione fit attonita. Post alias duodenas febris sedari sibi visa est. Surgit brachio Historia tertia.

sinistro paralytico. Si brachium illud dimoueatur dolor acerrimus latus puellæ transfigit, & vt ipsa inquit, ad cor vsque pertingit, ita vt ferè indè deficiat. Nihil moliuntur domestici. In quarta rigor eam rursum cubare coegit. Dolor augetur, superuenit nausea, anxietudo, oris spuma: lumen intueri nequit: eiulatur, furit, pauet: domesticos eijcit. Admota potione, caput retrahit, horret, deficit. Per interualla recta loquitur. Post hæc dentibus stridet, linguam sibi emordet. In principio quintæ moritur.

Historia quarta.

Mense Iunio 1576. Dominicus Berecius agricola, nuptus, validus, annos natus triginta septē per dies octo ignota sibi de causa brachijs dolitat: operatur tamen in agro, nec febrire se existimat. Nona die in cœna ius carnis sorpturus contremiscit, quare incœnatus decumbit. Ad mediam noctem pauore corripitur: ex illo vix contineri potest, sed timens, ac tremens exclamat, & ab astantibus etiam, atque etiam rogat se detineri, eosq; ipse vicissim arreptos arctissimè detinet. Summo manè consulitur vicinus Medicus, qui Picrā imperat, quę paulò post vomitio ne eijcitur vnà cum cruētis, vt narrant. Ego à prandio accersitus domesticos, & Parrochum, & cæteros, qui conuenerant, seorsum ab ægrotante alloquor, ac inopinatá illos conspecturos prędico, nempè virum hunc, vel si cogatur non bibiturum, ac si tentet bibere animo defecturum; & demum illum citò moriturum. Primam sententiam allato pocu lo astantium magna cum admiratione comprobo: alteram euentus breui confirmat; si quidem post horas quatuor extinguitur, præcedentibus fremitu inconstanti, clamore assiduo, inquietudine implacabili, sudore profusissimo, extremorum frigidita-

te, deliramento maniaco, & Dæmonum, vt aiebat, spectris.

Die 8. Aprilis 1579. Iacobus Piua Voltensis agricola nuptus, iuuenis, sanus, robustus, citrà omnem manifestam causam (vt etiam cæteri, de quibus suprà) ex agro rediens ad vesperam sudare cæpit cum angustia (vt aiebat) cordis, & agonia. Nocte illa per interualla contremiscebat, exiliebat, vociferabatur, assiduè sudabat. Diluculo à municipij Chirurgo data est Theriaca magna. Ego ad vesperam præproperè acutum morbum, qualis erat iudicio, & hic rursum astantes in admirationem pertraho, potionis horrorem, & mortis celeritatem constanter prænuncians, & dicta factis mox comprobans. Namq; ægrotanti oblata frigida, ipse repentè horrescit, & linquitur animo, ea reducta, actutum reuiuiscit. Iste verò neutiquam se tangi patiebatur, quin si quispiam manus propiùs inferebat, statim exclamabat. Horrebat etiam tantillum, dum faciei sudor frigidis linteaminibus abstergebatur. Ad noctem testamentum occæpit condere, sed inualescente sudore, ac conuulsione præpedita est oratio. Post paucas horas, mente etiam tum (vt narrant) sana, decessit. Has historias paulò fusiùs ex Marcello Donato placuit afferre, vt cuiuis constet hydrophobiam ex internis principijs in hominibus procreari posse, & in morbo raro Medici non fallantur, cum post paucas horas, ne dicam momenta remedia omnia truculentissima labes contemnat. Vides quàm varijs insigniatur symptomatis, vides modò mentem turbare, modò sana illa interficere, quod tamen rarissimum est. Placet in hanc rem aliam historiam addere. Honestus Cuneensis ciuis viuit, integra fruitur valetudine, sed multum,

Historia quinta.

Historia superioribus analoga aliquo modo.

& potissimum frigidum vinum haustu continuato bibere non potest. Quare vini cyathum trino saltem haustu bibere cogitur inuitus. Si calida bibat initio idem ferè illi contingit, vt in primo cyatho aquarum thermalium, tum faciliùs bibit, & minùs interruptè. Post vomitum faciliùs bibit. Aquam ardentem nulla ratione sumere potest. Aquæ conspectu ne tantillum quidem permouetur. In assumptione solidorum nihil omninò patitur. Causa symptomatis in frigidam oesophagi intemperiem commodè referri non potest, quia in potu calidorū non afficeretur: Nec siccam, quia post vomitum non biberet faciliùs magis resiccato corpore, & post prima pocula facilè potaret, quòd non facit: nec calidam, quia frigido potu non læderetur, nec malè afficeretur, sed potiùs gauderet, prætereà hæc corporis dispositio actiones iuuat, non impedit: nec deniq; humidam, quia aquam ardentem facilè ingereret: nec tuberculum, quia par esset semper deglutiendi difficultas, & difficiliùs solida, quàm liquida deuoraret, quod non euenit. Nec commodè in aliam causam refferri posse videtur ex paulò manifestioribus. Fuerit ne causa quid diuini: nempè aliquid in tertia virtute consistens? fueritnè quid analogiam aliquam dicens ad id, de quo præsentem instituimus disceptationem? equidem repurgato diligenter corpore modo infrà describendo, tum adhibito ligno sancto, vel ligno sassafras, non reiectis alexipharmacis puto fortè futurū, vt conualesceret, sed fortè rationabiliùs referetur causa in neruos iusto imbecilliores, & sensus nimium exacti. Hinc enim fit, vt quemlibet cuiusuis qualitatis excessum difficilè ferant. Sic aquam ardentem, sic potum frigidiorem, sic aquas thermales initiò fer-

re nerius non poteſt. Iteratum aquarum thermalium potum facilè fert, vt facilè pedes in aqua calidiore continemus poſtquàm aliquantum in eadem incaluerunt, quod fit ob aſſimilationem patientis cum agente. Sic ſolidorum aſſumptione non afficitur, quia in ijs ferè nulla excellit actu qualitas. Exhibitis quæ neruorum ſenſum obtundant, quæ eoſdem leuiter adſtringendo corroborent, quæ emplaſtica vi polleant, iiſq; continuatis, plurimùm iuuaretur, modò curabilis ſit affectus. Verùm de his ſatis. Itaq; cum firmatum ſit, & canes, & alia animalia rabiem pati, licèt potiſſimùm, & vt plurimùm canes, nunc videndum eſt.

Quinam canes ad rabiem faciliores, & aptiores ſint. Ad quod reſpondeo eos eſſe propenſiores ad rabiem, qui in mordendis obuijs quibuſcunq; alacriores etiam ſunt. Huiuſmodi autem ſunt, vel rubro, vel ferrugineo infecti colore, vel qui hirtis ſunt pilis, vel diuerſi coloris, vt maculis compluribus diſtinguantur. Hi autem inconſtantes ſunt, ad prodendos homines apti ad inflammationem diſpoſiti, ac proinde ad rabiem concipiendam aptiſſimi. Nigri canes, vel bile aduſta, vel naturali melancholia abundant, ex dictis ergò hactenus, ad hunc affectum diſpoſiti; parui item, ac macilenti, quia horum ſanguis in cordis vētriculis elaboratus calidiſſimus eſt, qui ad cerebrum defertur, vbi minimum à cerebri ſubſtantia frigida refrigerari poteſt ob cordis calidiſſimi viciniam, quare in furorem facilè aguntur, & phrenitide quaſi quadam corripiuntur, ex quo, cæteris paribus, animalia longius collum habentia ſunt mitiora, quia minor eſſe poteſt in cerebro efferueſcentia, ira autem eſt efferueſcentia, & inflammatum cerebrum, vel meninx omninò furo-

5. Qui canes ſint aptiores ad cōtrahendam rabiem. Rubri. Ferruginei. Hirti. Verſicolores. Nigri. Parui. Macilenti.

Oculis rubris, meleis, giluis. ris est causa. Itidem qui vel oculos inflammatos valdè habent abundantiam sanguinis indicantes, vel giluos, & melleos prædominium choleræ citrinæ ostendentes. Cardanus deniq; de var.rer.lib.7. cap. 33. vult eos qui duplici ordine dentium anteriorum constant vehementiores, & acriores esse, hi autem ad rabiem pronissimi sunt.

Duplici ordine dentium anteriorum.

QVID SIT RABIES, EIVS CAVSAE, *impedimenta, & curatio in canibus: quomodo item eorum captetur beneuolentia, vel artificiosè necentur.*

CAPVT II.

6. MVLTI quidem multas causas attulerunt, quibus canes rabie efferantur: nos si fieri poterit omnes decerpemus. Et quia quæ nam sint rabiei causæ sciri non potest, rabiei natura ignorata, ideò quid illa sit priùs videndum est. Rabies est conuersio quæ complexionis ad malitiam malam malignam venenosam. Ita deffinitur ab Auicen. lib.4.fen.6. tract.4. cap.5. recipitur communiter ab omnibus hæc definitio tamquàm vera, vt à Valer. lib.3.obseru.3.talis tamen mihi nòn videtur;nam si toxicum offeratur cani,præsertim frigidum,fiet ista conuersio in malignam, & venenosam malitiam, nec tamen erit rabies. Deinde conuenit etiam cani mortuo ex toxico putrescēti, quippe cuius complexio tota mutatur in venenosam, ac putredinosam. Cardanus lib. 10. de subtil. docet rabiem esse morbum ex putredine sicca,& ob id in fero animali,& sponte sua iam sicciore sæuiorem. Sed si morbus hic est ex putredine,ergò rabiem febris sempe r

Rabiei definitio Auic.

Definitionis reprehensio.

9.

Rabiei definitio Cardani. Illius reprehensio.

comi-

comitabitur putrida,quod est falsũ. Prætereà quid per putredinem siccam intelligit? Nam duplex est putredo ex Aristotele, idest putredo secundum partem,& putredo secundum totum:hæc formaliter in separatione humidi à sicco consistit; illa ad hanc disponit rem putrescentem. In vtraq; humidum dominatur,quippe quod à calore naturali imbecilliorè iunctum cum sicco conseruari non potest, ex quo fit,vt putredinis mater humiditas nuncupetur. Sin verò putredo sicca ea est, quæ in humoribus, vel corporibus siccis excitatur, omnis febris ardens ferè, & tertiana exquisita dicetur rabies, quod est absurdum. Non ergò rabiei naturam Cardani definitio explicat. Ego dicerem rabiem esse furorem venenatum maximè contagiosum sine febre.Furor in hac definitione locũ generis obtinet, communis enim est alijs multis morbis, vt maniæ, melancholiæ,phrenitidi. Dixi (sine febre) vt rabiem à phrenitide discernerem; quæ febrem continuam habet annexam: addidi in definitione (venenatum maximè contagiosum) vt tum ab eadem, tum à mania, ac melancholia rabies discriminetur, neq; enim hi morbi, veneni, participes sunt, neque afficiunt per contactum. Ex hac igitur deffinitione patere potest causas furoris esse causas rabiei, & rabiem à furore distingui,quòd hic contagiosus non sit, illa verò per contagium afficiat. Furor autem sicut benè Auicen. loco cit.excitatur vel ab aere, vel à cibis,& potionibus. Primo ex aere calido;aduruntur enim humores; canesq; furunt. Quare in exortu caniculæ feruentibus omnibus, quæ lunæ ambitu continentur,canes maximè in rabiem agi docet. Plin. libro 2. nat. hist. cap. 40. & experientia confirmat. Hinc canes, quos matronæ secum noctu in cubili

Ratio formalis putredinis.

Rabiei vera definitio.

Causarum rabiei enumeratio. Aer calidus.

Oculis rubris, meleis, giluis. ris est causa. Itidem qui vel oculos inflammatos valdè habent abundantiam sanguinis indicantes, vel giluos, & melleos prædominium choleræ citrinæ ostendentes. Cardanus deniq; de var.rer.lib.7. cap. 33. vult eos qui duplici ordine dentium anteriorum constant vehementiores, & acriores esse, hi autem ad rabiem pronissimi sunt.

Duplici ordine dentium anteriorum.

QVID SIT RABIES, EIVS CAVSAE, impedimenta, & curatio in canibus: quomodo item eorum captetur beneuolentia, vel artificiosè necentur.

CAPVT II.

6. MVLTI quidem multas causas attulerunt, quibus canes rabie efferantur: nos si fieri poterit omnes decerpemus. Et quia quæ nam sint rabiei causæ sciri non potest, rabiei natura ignorata, ideò quid illa sit prius videndum est. Rabies est conuersio quæ complexionis ad malitiam malam malignam venenosam. Ita deffinitur ab Auicen. lib.4.fen.6. tract.4. cap.5. recipitur communiter ab omnibus hæc definitio tamquàm vera, vt à Valer. lib.3.obseru.3.talis tamen mihi non videtur; nam si toxicum offeratur cani, præsertim frigidum, fiet ista conuersio in malignam, & venenosam malitiam, nec tamen erit rabies. Deinde conuenit etiam cani mortuo ex toxico putrescēti, quippe cuius complexio tota mutatur in venenosam, ac putredinosam. Cardanus lib. 10. de subtil. docet rabiem esse morbum ex putredine sicca, & ob id in fero animali, & sponte sua iam licciore sæuiorem. Sed si morbus hic est ex putredine, ergò rabiem febris semper

Rabiei definitio Auic.

Definitionis reprehensio.

7.

Rabiei definitio Cardani. Illius reprehensio.

comi-

comitabitur putrida, quod est falsū. Prætereà quid per putredinem siccam intelligit? Nam duplex est putredo ex Aristotele, idest putredo secundum partem, & putredo secundum totum: hæc formaliter in separatione humidi à sicco consistit: illa ad hanc disponit rem putrescentem. In vtraq; humidum dominatur, quippe quod à calore naturali imbecilliorè iunctum cum sicco conseruari non potest, ex quo fit, vt putredinis mater humiditas nuncupetur. Sin verò putredo sicca ea est, quæ in humoribus, vel corporibus siccis excitatur, omnis febris ardens ferè, & tertiana exquisita dicetur rabies, quod est absurdum. Non ergò rabiei naturam Cardani definitio explicat. Ego dicerem rabiem esse furorem venenatum maximè contagiosum sine febre. Furor in hac definitione locū generis obtinet, communis enim est alijs multis morbis, vt maniæ, melancholiæ, phrenitidi. Dixi (sine febre) vt rabiem à phrenitide discernerem; quæ febrem continuam habet annexam: addidi in definitione (venenatum maximè contagiosum) vt tum ab eadem, tum à mania, ac melancholia rabies discriminetur, neq; enim hi morbi, veneni, participes sunt, neque afficiunt per contactum. Ex hac igitur deffinitione patere potest causas furoris esse causas rabiei, & rabiem à furore distingui, quòd hic contagiosus non sit, illa verò per contagium afficiat. Furor autem sicut benè Auicen. loco cit. excitatur vel ab aere, vel à cibis, & potionibus. Primo ex aere calido; aduruntur enim humores, canesq; furunt. Quare in exortu caniculæ feruentibus omnibus, quæ lunæ ambitu continentur, canes maximè in rabiem agi docet. Plin. libro 2. nat. hist. cap. 40. & experientia confirmat. Hinc canes, quos matronæ secum noctu in cubili

Ratio formalis putredinis.

Rabiei vera definitio.

Causarum rabiei enumeratio. Aer calidus.

Error matronarum, quæ canibus condormiunt. Aer valdè frigidus.

Cibus & potus calidus.

Aliæ variæ causæ procatarcticæ.

Cautio à matronis notanda.

Historia admiranda, & notanda.

cubare volunt, si præsertim temperaturæ sint ad rabiem pronioris, edulijs calidioribus vescantur, rabie corripi solēt, ex nimio calore sub stragulis concepto. Caueant itaq; sibi matronarum multæ, quæ id in more positum habent, non tamen sine aperto discrimine. Immodicum etiā frigus huius rei causa esse potest, tunc enim vt inquit Auic. loco citato sanguis congelatur, sitq; decliuis ad nigredinem. Adde ex antiparistasi maius tunc in internis partibus vigere incendium, eo modo, quo ventres hyeme calidiores. Esse dixit Hipp. cibus, & potus iusto calidior mouet rabiem, vt contigit in catello Andreæ Baccij Medici, quippè qui alebatur pulmentis pipere, calidisq; conditis, vt refert ipse lib. supra citato. Ita lambentes sanguinem interfectorum, carnes putridas putrescentium cadauerum comedentes, putridas aquas bibentes facilè rabiem contrahere multi docuerunt. Generatur enim calor extrāneus intus causa putredinis, ex quo procreatur melancholia, & accenditur, ac furor iste venenatus exoritur. Hoc autem fit præsertim, si carnes putridæ, quas comedunt, sint animalium, quæ vel ictu fulminis, vel contagione, vel morsu aliorum animalium venenosorum interierint, vt Valleriola obseru. lib. 3. obseru. 3. & Matthiol. lib. 6. Dioscor. cap. 36. videatur matronæ, quorum catelli victitant cibis calidis, quos alere parte dedignantur, videant. Inquam, ne quos habent in delicijs deleterij sibi sint irreparabili damno. Si enim vera sunt quæ docet Cardanus libro 7. de rerum varietate cap. 33. canem quendam meliteum, & cattum ab ancilla quadam, quam ipse agnoscit, comitiali morbo affectos, vt tota domo circumcurrerent velocissimè, & protinus, velut mortui caderent, in

quo vidimus morbum natura sua non ita contagiosum communicatum fuisse: profectò multò magis condormitio cum canibus, ex qua calor maior consurgit, qui natura sua aptus est animantia in rabiem agere, timendus erit, & vitæ propriæ in re præsertim non necessaria consulendum. In idem mali feruntur etiam, si profluuium menstruale mulierū degustarint, quod non videbitur incredibile illis qui reliquos effectus huius veneni considerarit testatum id reliquit Plin. nat. hist. lib. 7. cap. 15. item vlcus aliquod, vel vulnus, quæ dolorem inferunt, & spiritus exagitant, quare incalescunt, & in furias aguntur canes. vt iam sæpè dictum est hoc patet etiam in catello, à quo æger noster demorsus est, & ex verbis Auic. loc. cit. c. 5. vbi ait, & quandoque apostematur corpus eius, & conuertitur color eius ad cinericitatem, & additur perseuerantia in causis corruptionis eius; ipse namque famem patitur, & non comedit, & non bibit aquam. Et quando obuiat aquæ timet ex ea, & abhorret eam, & quandoque horripilatur ex ea, & tremit, & multiplicatur horripilatio, & est in cute faciei suæ, imò quandoque moritur ex ea timendo, & propriè in fine rei suæ. Hæc Auic. atq; hæc dicta sint de causis rabiei ex Auicenna præsertim, alijsq; auctoribus nunc verò videndum est.

Aliæ causæ rabiei enumerantur.

Qua ratione prouidendum sit canibus ne hoc tam sæuo morbi genere capiantur. Fieri enim id posse docent grauissimi auctores. Id quidem assequemur primò ex Plin. lib. 8, nat. hist. cap. 41. Si quadragesimo die quam sit natus canis, castretur morsu cauda, summusque eius articulus auferatur, sequenti neruo exempto: ita enim nec cauda crescet, nec canes vnquam rabidi fient, vt habet etiam Mi-

7. Ratio preseruandi canes à rabie.

Summi caudæ articuli amputatio.

zaldus

ualdus suorum memorabilium cent. 4. num. 90. vbi operationis huius etiam rationem docet his verbis: Præhenditur caudæ extremum, in quod vltima spinæ articulatio definit cum neruo, & tandiu distorquetur, donec abrumpatur. Id etiam canibus conciliat nè in longitudinem indecoram cauda porrigatur. Huius rei rationem, si quis in arcanis constituat, nè ille non multum errabit. Idem fiet si cani lambendum præbeamus lac mulieris, quæ marem peperit eidem lib. 28. cap. 7. & Mizaldo suorum memorabilium cent. 4. num. 74. aliam rationem apud eundem Plinium habes lib. 24. cap. 5. vbi ait esse vermiculum in lingua canum, quem Græci vocant Lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidos fieri, nec fastidium sentire, facitque vt minimo latratu sint infesti, nec quenquam læthali morsu impetant, vt ex Colum. & Plinio docet, Mizald. cent. 5. num. 8. Deniq; si vigentibus caloribus canicularibus per dies 30. vel melius iuxta Hippocr. lib. de medic. purg. per dies 60. vel 50. secundum aliam versionem, gallinaceum fimum canum cibis admiscueris periculo illos rabiei omninò liberabis, quod est remedium. Plin. lib. 8. cap. 40. naturalis hist. & hæc quidem in præcautione consistunt. At scire forte non erit iniucundum.

Potus lactis muliebris.

Vermiculi sub lingua ablatio.

Gallinaceum fimum exhibitum.

8. Quomodo canis iam rabidus curari à tanto malo possit. Multæ enim matronæ sunt, quæ catellum tanto fortè amore prosequuntur, quanto non filium: ex deformioribus aliquem. His ergò gratum erit scire quibus modis tam carum animal pristinæ sanitati restituere possint. Dico itaq; his prodesse non mediocriter, succum betæ, medulla sambuci comestam, ignem vlceri, fronti applicatum, & naribus ex ferro candente, canumque in aquam diutina im-

Canum iam rabidorũ curatio.

Remedia varia

mersio, quod hominibus etiam non mediocri solet esse adiumento. Ita habet Cardanus libro 7. de var. rer. cap. 32. vbi addit alijs etiam morbis tentari canes puta, angina, podagra, scabie, pulicibus; spinis, macie, alui duritie vermibus in vlceribus, tumoribus, animi torpore, ac desidia quadam, vultque omnibus illorum morbis internis commune esse pharmacum oleum, & venæ sectionem in cruribus, vermibus autem stæchadem, quod ante ipsum docuerat Plinius, qui etiam lib. 28. cap. 18. vult eorundem scabiem taurino sanguine recenti curari, vt spinam corpori infixam felis excrementis: & lib. 25. cap. 8. ait canes, herbam quandam inuenisse, qua fastidium deducunt, quæ ideò canaria dicta est: & percussum itidem à serpente sibi alia herba illum mederi ait, illamq; homine inspectante nunquam decerpere, sed hæc parergos. Vt ad rabiei curationem reuertamur, veratro ea affectos curari posse apud eundem reperio lib. 8. cap. 40. mixto nimirum cibis, qui illis offeruntur lib. 3. de medic. facilè parab. Galeno falsò adscripto Nerij radix [Oleandro Italicè dicitur] canis furentis collo circumposita illum statim sanat, vt furorem omnem deponat; quod probabilius crederem, si folia præsertim, & fructus ex vino bibantur, & eò magis addita ruta, vt precipit Dioscorides lib. 4. cap. 77. falsò enim Galenus lib. 8. simpl. medic. in principio Nerium intrò in corpus assumptum perniciosum, & hominibus, & pecudibus habendum esse iudicauit. Prouenit Nerium in locis amœnis, maritimis, & secundum fluminum ripas, lacusq; Benaci. Rationem facillimam docet Mizal. suorum memorabilium cent. 7. num. 85. vbi docet ex Arnaldo Villanouano stercora gallinarū remista cibo canum rabiosorum ab

Alij morbi quib' canes tentari solent.

Remedia horum morborum.

Alia contra rabiem canum remedia.

Stercus Gallinæ cōtra rabiem canum.

illis rabiens excludere, modo cibum illum assumat: Theomnestus apud Vueckerum post diei vnius omnimodam abstinentiam ex veratro cibis mixto vult purgari, vt supra ex Plinio dixi, inde pane hordeaceo nutriri. Ita curari tradit, vt & homines, quod doctissimis antiquorum placuit, hæc ratio rabidi canis curandi. Interim tamen cauendum ab ijs summopere est, eorumque, & reliquorum omnium beneuolentia quacunq; ratione fieri poterit captanda est. Multa enim mala infert morsus siue rabidi, sibi duntaxat irati. Et quoniam hoc, & gratum lectoribus, & vtile etiam fore iudico, dicã quid ea in re cognoui.

9. Remedia canũ beneuolentiam cõciliantia.

Captatur canum beneuolentia, vt volunt quidam illis ranam coctam exhibendo. At hoc Cardanus inquit se frustra expertum. Et probat potiùs eorum morem qui panem, vel aliud edendum porrigunt canibus tunc temporis, quo maximè ab alijs omnibus verberantur, vel lapidibus petuntur. Tanto canes amore illum prosequuntur, qui mustellæ caudam secum defert ab ea exsectam mustella viua dimissa, vt in eum nunquam latrent. Quod si pinguedo ex matrice canis sumatur, & cum pane cani offeratur, eum, qui obtulit iugiter sequetur. Idem assequeris, si eadem pinguedine calceamenta illeueris ex Fallopio. Alij volunt obsequentes valdè reddi canes ei, qui panem sudore illo madefactum, quo axillæ nostræ foetent, cani tradiderint. Quod si canis rabidi, qui hominem momorderit, dentes in corio ligatos, vt carnem tangant, gestes, à morsu rabiosi canis te tuebitur, licet fortè beneuolentiam non conciliet ex Dioscoride apud Mizaldum cent. 6. num. 14. Iam verò ad vtiliora transeamus, nam & dicta fortasse rabidis canibus, præter vnum, pa-

nihil proderunt, satius ergo esset ad alia remedia venire, tentareq; illorum mortem, antequam in mortis nos periculum coniiciant. Ingeniosas nos tantùm rationes aperiemus huius rei assequendæ, nemo enim est, qui nesciat ense, lapide, laqueo, vel simili rabidum canem posse interfici; quanquàm hoc non valdè tutum est; posset enim interfici, qui tentaret hoc modo interficere.

Interficies ergò artificiosè canem rabidum sequenti ratione. Primò quidem Apocyni, aut Cynocrambes, vel Cynomori folia cum adipe in panes coacta, & in cibum oblata, non tantùm canes interficiunt, à quo & nomen assumpserunt, sed etiam Lupos, Vulpes, & Pantheras, si Dioscoridi credimus libro 4. cap. 76. cui subscribit Galenus de simpl. med. facul. lib. 6. & adstipulatur Plin. nat. hist. lib. 24. cap. 11. Secundò idem etiam assequeris spongia frixa cum adipe, assumpta enim tumescit, ex quo fit, vt vomitione pelli non possit, & cum nec possit concoqui, ad interitum auidum animal perducit. Vitrum item, & Nucem, quæ vomica dicitur, canes interficere vult Cardanus de varietat. lib. 7. cap. 32. cui tamen non adstipulatur Matthiolus in librum primum Dioscor. cap. 141. vbi de nucibus disserit, vultq; canem interfici nuce metella, non autem vomica. Distinguit enim hic duas nuces, licet multi Medicorum vnicam confundant, nam Metella plantam habet solano halicacabo similem, fructus ferunt, & semen; non autem vomica. Castor Durans sequitur Cardanum, vomicaque vult canes interfici, non metella, quam vellet appellari [illegible] potius, quàm vomicam. Radix item albi Chamæleonis (vulgò dicitur herba Carlina) non tantùm canes, sed & sues etiam, & mures occidit, si

10. Modi artificiosi interficiendi canes.

Apocyni radix.

Spongia frixa cum adipe.

Vitrum. Nux vomica.

Radix Chamæleonis albi.

subigatur cum hordeacea farina, oleo, & aqua, quod & Dioscorides docuit lib. 8. cap. 9. & Plin. lib. 22. cap. 18. & Matth. in locum Dioscor. cit. Sed Galenus lib. 8. simpl. med. vbi de Chamæleone agit, nihil de hac proprietate nos docuit. At dicet quis, canem rabidum se quidem interfecturum, dubitare tamen, num rabidus sit. Huius postulatis satisfaciã iis, quæ capite sequenti dicturus sum.

COGNITIO CANIS RABIDI, morsusq; ab eo inflicti.

CAPVT. II.

Signa, quibus dignoscatur canis rabidus ex Galeno.

QVÆRO quomodo canis rabidus cognosci certò possit. Quia in re primo loco afferenda mihi videntur signa à Galeno nostro descripta lib. de Ther. ad Pisonem cap. 16. vbi ait eum canem esse rabidum, qui macilentus, & gracili corpore sit, & oculos rubricatos, caudam demissam, spumam ex ore fluentem habeat, linguam exertam gestet, quæ tanquam bile infecta crocea videatur, & obuios quosq; incurrat, interdum sine causa procurrat, & deinceps subitò consistat, & furiosa quadam indignatione improuisos adoriatur. Addit Auicenna loco sæpè citato cap. 5. canem rabidum aquam timere, nec comedere, nec bibere, horripilari, tenebrosos habere oculos, solitarium, ignarum, non cognoscere dominum suum, toruo illum esse aspectu, nasum eius fluere, demisso capite, auribus flaccessentibus deorsum depressis, quas ambas mouet, dorsum habere incuruatum, & deorsum ad latus inclinatum, tristem, angustiosum, & velut ebrium esse, præcipitem omni esse passu, contra for-

Alia signa Auicennæ.

mas sibi apparentes currere, ipsas aggredi, licet sit paries, aut arbor, tacitè inuadere, latrantem, quod rarò fit, reliquos canes vitare. Hæc Auic. quibus Valescus de Tharanta lib. 7. cap. 31. addit Serapionis auctoritate, canes rabidos raucè latrare [sic & hydrophobi rauci] cùm latrant inter coxas mouere caudam, aliquando voce penitus destitui, mordere sine latratu, huc, illucq; inconstanter discurrere, omnia animalia indifferenter mordere, saliuam habere spumosam. Quibus omnibus addere adhuc placet quæ habet Gordon. de febribus partic. prima cap. 17. vbi docet rabidos canes domum propriam non agnoscere, vmbræ propriæ latrare rauco latratu, plicatam habere caudam, ab aliis canibus euitari. Hæc præter quædam ex supra allatis Gordonius; quibus addi, vel meliùs explicari potest differentia morsus canis rabidi à cane ludente, vel irato non rabidis: nam canis rabidus mordet, & demorsum acriter apprehendit, vt contigit ægro nostro, qui canem manu appensum bis, ac ter è terra sustulit, nec manum adhuc infixis dentibus deserentem. Tum si quem momordit, morsum non repetit, sed statim, ac quem momordit, ac deseruit, ad alios properat, quod non contingit in ludentibus, hi enim manum, vel pedem apprehendunt, iterumque, ac tertio dentibus tentant, non tamen mordent, idque stolido latratu, voceque, vt ita dicam, puerili: irati deniq; cum furore aggrediuntur, mordent, morsumq; repetunt canina prorsus ira. Ex quo facilè quis possit rabientes canes à non rabidis discernere. Quod si quis canis te momorderit, nec tamen eum ex iam descriptis signis agnoueris, poteris alia via, idem assequi, nempè ex ipso vulnere.

Alia eiusdem rei signa ex Tharantano, & Serapione.

Signa alia ex Gordonio.

Differentia inter canem rabidū, ludentem, & iratū.

12. Quomodo dignoscas ex vulnere, vel morsu, nũ canis, à quo es demorsus, fuerit rabidus, necnè.

Cognosces ergò ex vulnere ipso, num canis, à quo demorsus es, rabidus fuerit, necnè, sequenti ratione: permagni enim hoc refert: nam si nulla rabie efferatus erat canis, in curatione vulneris, sola intentio erit vnio, seu cõsolidatio, quod vt plurimum breui tempore fieri potest: sin autem rabidi canis vulnus est, ante consolidationem indiget ijs, quæ vulnus magis aperire, & veneno per saliuam carni vulneratæ communicato aditum aperire possunt, vt è corpore prius propellatur, sine quo curatio ægrum traheret ad grauiora, imò irremediabilia symptomata. Intentum ergò nostrum assequemur hoc modo:

Primus modus.

Super vulnus, de quo dubitamus, nux iuglans trita imponatur, & hora vna vulneri adhæreat: Deinde auferatur, & gallinæ, vel cani deuoranda offeratur: si enim gallina, vel canis renuit, certissimum est rabidum fuisse canem, à quo demorsus est, sin secus, iratum duntaxat.

Secũdus modus.

Et quia ob voracitatem aliquando veneno infectam comedere possent, iterum animaduertes, num post paucas horas, vel ad summum vigintiquattuor moriatur gallina, vel canis, aut in rabiem efferentur. Hoc enim item certissimum rabidi canis tibi signum erit.

Tertius modus.

Idem etiam hoc euidentissimo signo comperies: Frustum panis sanie, & sanguine, vel sanie ex vulnere fluente infice, cani edendum propone; si enim comedat, simplex esse vulnus, non autem venenatum tutò affirma: si renuit, omninò vulnus esse à rabido cane inflictum pronuncia, curationemque institue.

Vltimus modus.

Alij apud Auicennam loco sæpius citato cap. 8. volunt corpus totum demorsi à cane rabido calefieri affusa frigida super vulnus non placet tamen Regi Medico, & tutum non esse hoc experimentum patebit ex infradicendis, cum

vul-

vulnus canis rabidi frigida perfusum curationem non admittat. Hæc apud Auicennam, à quo etiam mutuatus est Valeriola lib. 3. obser. in 3. cit. & Valesius de Thar. loco cit. lib. 7. vbi ait gallinam, quæ nucem comederit vt plurimum mori secunda die; & per totam noctem vulneri vellet tritam nucem inhærere, vt etiam Paulus lib. 5. de re med. cap. 3. ex Oribas. Verùm ne ex ijs, quæ diximus, & dicturi sumus, nimio quis timore canum omnium afficiatur, ideò posset aliquis fortasse petere, num sit aliqua ratio, qua canes non timeamus. Quorum petitionibus æquis vt satisfaciamus quædam in medium hoc loco afferemus.

CANES VT NON TIMEAS, *cum historijs quibusdam demorsorum.*

CAPVT IIII.

DICO rationem artificiosam inueniri posse, qua vtentes canes non timeant. Inuenit hanc Galenus lib. 3. de medicam. facilè parabil. si tamen liber ille sit genuinus Galeni partus, vbi docet Nerij radicem collo appensam hominem canum metu prorsus liberare. Dixi de Nerio supra. Quin etiam auctore Plin. lib. 25. cap. 10. Peristereon herba canum timorem propellit, si quis eam secum habeat. Vulgò dicitur Verminacola, vel Berbena, vel Berbenaca ex Matthiolo in 4. Diosc. cap. 55. 56. Verum cum duo illius sint genera, cuius primum Peristereon, siue Verbenaca dicitur, secundum verò herba sacra; & nullibi, vel Galenus, vel Dioscorides facultatum herbarum acutissimi indagatores prodiderint huic herbæ talem vim inesse:

Ratio nõ timendi canes.

Nerij radix collo appensa, berbena gellata.

De qua berbena id intelligatur.

crediderim hac vi pollere secundã speciem, quam herbam sacram Dioscorides appellat, hoc tantum nixus argumento, quod dicat Dioscorides dum de eà loquitur, ideò vocari eam herbam sacram, quoniam multum ad amuleta, expiationesq; commendatur; vel etiam fortè vtrãmq; speciem facultatem hanc sortitam esse, quòd Gal. lib. 8. simp. med. de vtraq; sub vno capite loqutus est, vtrique easdem proprietates tribuendo. Linguam Hyænæ ad idem pollere docet idem Plinius lib. 28. cap. 8. ea enim, si in calceamento carnem tangendo habeatur hominem ita confirmat, vt non modo canes non timeat, sed ab ijs ne latretur quidem. Et idem efficere linguam caninam in calceamento pollici subditam ex eodem habes lib. 29. cap. 5. vbi idem illi contingere docet, qui caudam mustellæ, quæ abscissa dimissa sit, habeat, & ab eo fugere canes, qui cor caninum secum habuerit. Io: Baptista Porta sic ait: Nigri canis oculum viuenti ipsi detrahatur; si tecum detinueris eum, alij canes tibi adhærent, & iuxta eos ambulanti, nec adlatrabunt, nec foras vocem emittent, quod fortasse euenit odore oculi. Violentius operabuntur, & tutius deges, si oculis, vel luporum corde comitaberis. Sic quoq; dicitur de hyænæ lingua in manu detenta, nec solum illa canes elingues, sed gestantem ab eis incolumem reddit; hęc ille. Similis virtus est in oculis hyænæ, quæ quodcunq; animal lustrauerit, è vestigio hæret, stupescit, & mouere se non potest; similis virtus est in oculis luporum quorumdam, qui si quem prius viderint, stupescit, & raucescit, adeò vt si clamare voluerit, non habeat vocis ministerium, inquit Agrippa, qui docet etiam illum canes fugere, qui canis cor habeat. Deniq; lib. 30. cap. 16. cum

Lingua Hyænæ sub calceamẽto

Lingua canina eodem modo.

Cauda mustellæ.

Oculus canis nigri.

Oculi, & cor luporum.

Oculi Hyænæ.

Canis cor.

non latrari à canibus docet Plinius, qui membranam ex secundis canis habeat, vel potiùs fimum, vel pilos. Porrò hæc omnia ab occulta proprietate ferè, vel canes terrent, vel demulcent, nulla enim ferè est manifesta qualitas, excepto odore, qua id fieri posse dicatur. Quod omninò in multis in re medica, & philosophica dicendum est: licèt enim sit absurdum in morbis, alijsq; effectibus, qui per manifestam qualitatem pelli, vel haberi possunt, ad occultas proprietates confugere, vt doctè complures ex Medicis; in ijs tamen, quæ qualitatibus primis, vel secundis fieri non possunt, & tamen fiunt, vt tantorum virorum auctoritas, & experientia ipsa fida veritatis parens conuincit, omninò ad occultas proprietates recurrendum est, non tanquam ad aram inscitiæ, sed tanquam ad veræ Philosophiæ penetralia, ad quæ pertingere non possunt ij, qui vt aliquando in alijs grauioribus hæsitant, ita & in hisce tanquam vespertiliones in clarissima luce cæcutiunt; & vt doctissimè excellentissimus Medicus Sauonarola, Medicus dici non meretur, qui principia ista, vel non cognoscit, vel non admittit, secus enim magna Medicinæ pars corrueret. Deniq; pro canibus rabidis, docet Auic. cap. 9. tract. 4. sexta quarti, rabiosos canes illum fugere, qui secum gestet rabidi quondam canis dentem, de quo superius.

Et licèt hæc omnia vera sint, complures tamen siue fato aliquo, vt ita dicam, siue propria negligentia, siue quod hæc ignorent, rabidorum canũ morsibus impetuntur, & in grauissima pericula conijciuntur. Diogenes ipse Philosophus admirandus quo die Alexander Macedo diem suum obijt, à cane demorsus Babilone ipso eodem die morsus interijt, quod vix fieri potuit, nisi & canis rabidus fue-

Membrana ex secũdis canis. Stercus, & pili le potis.

Dens canis rabidi.

Diogenes mortuus ex morsu canis rabidi.

rit, & morsus longè maximus. Neotericorum etiā historiæ referunt Lucretiam Ricam propè Pisas à cane rabido morsu petitam, duobus diebus animā exhalasse; nullam ferentibus opem remedijs, quibus vsa est ad miraculum. Idem cōtigit Baldo Iurisperito Tridenti, qui à suo catello rabido in inferiori labio demorsus [rabidum esse ignorabat] quarto post mense rabidus factus nullo adiutus medicamento perijt hydrophobus, vt auctor est Matth. in libro 6. Dioscor. cap. 36. alij etiam referuntur à Galeno cap. 8. libri de Sectis, quos ad rem hoc libello afferemus.

Lucretia Rica etiam ad Pisas. Baldus iurisperitissimus.

15. Neq; verò rabie corripiuntur tantum qui à canibus mordentur, sed alij etiam, in quam rem duo tantum exempla ex innumeris, quæ afferri possent, in medium proponam. Canis quidam Mediolani Equitis pallium apprehendit, & suturam dentibus soluit. Is hoc animaduertens ad proximum sutorem diuertit, vt pallium resueret. Paret sutor; dissuta fuit, tum dentibus, vt moris est, mollit, at æquat suturam. Post paucos dies hydrophobia tentatur sutor, & miserrimè moritur. Simillimam historiam reperies apud C. Aurel. 3. acut. de Sartrice apud Mercurial. lib. de veneno canis rabidi cap. 5. Caralij [oppidum est nobile ab vrbe Cuneo quinque millibus passuum distans] Lupus rabidus [appellantur communiter rauas] asinum momordit, exiguo admodum interiecto spatio asinus item hominem momordit. Hic rabie corripitur, miris symptomatis tentatur, tandemq; miserrimè moritur. En virus, ac labem veneni sæuissimi, vt propterea summa animaduersione nobis ab ijs cauendum sit, qui à canibus vel rabidis, vel de quorum rabie suspicamur, sint demorsi.

Historia hydrophobinō demorsi à cane rabido.

Historia alia elegans.

Occurrit quæstio non minùs curiosa, quàm vtilis, quàm paulò diligentiùs examinare in animo est. Vndenam manet virus hoc, ex dentibusnè, vel morsu ipso, vt sic considerato, vel excutis laceratione, ac solutione continui, an ex saliua, quæ ex ore canũ in morsu vulnus ipsum subit. Qua in re conclusionibus aliquot rem absoluemus. 16. Quænã sit causa immediata rabiei.

Prima conclusio. Morsus canis rabidi, vt morsus est, non potest rabiem excitare. Probatur primo ex Galeno libro de Ther. ad Pison. cap. 16. vbi contra Methodicos inuehitur: vniformis est morsus, & similis à cane rabido, & non rabido illatus; ita vt nullam ex vulnere distinctionem habeant, si internam mordentis causam scrutari nolimus: & lib. de Sectis cap. 4. vlcus canis rabidi, vel etiam viperæ nulla re ab alijs vlceribus diuersum apparere contendit, omni quidem tempore rabiosi canis, primis verò diebus viperæ, ergò morsus canis rabidi, vt morsus est rabiem non excitabit, alioqui morsus etiam aliarum bestiarum, quibus ille similis est, eandem excitare possent. Secundò, morsus vt sic solam efficit continui solutionem, at hæc rabiem non habet annexam, ergò ex morsu rabies nullo pacto consequetur. Tertiò, capitis totius canum, qui rabie perierint, combustorum cinis cum oleo cyprio instillatus in aurem partis affectæ, dolores dentium sanat; ergò signum est nulla in parte solida capitis rabiem latitare, ratione cuius morsus rabiem possit excitare. Dicet fortè aduersarius non morsum vt sic, sed morsum cum dentibus coniunctum communicare venenum, ac rabiem. Sed contra est, quia dentes non possunt hoc virus communicare, quia alioqui omnis canum morsus rabiem efficeret. Adde, quod cinis ex capite rabido, de quo nunc dixi, 17. Morsus, vt sic nõ est causa rabiei. Probatio prima ab authoritate. Ratio secunda. Ratio 3. Effugiũ aduersariorũ. Illius enodatio.

rabiem excitaret. Deniq; sutor Mediolanensis, de quo supra, actus est in rabiem non concurrentibus caninis dentibus, ergò signum est dentes hac vi non pollere.

18. Contactus canis rabidi nō est causa rabiei. Ratio 1. Ratio 2.

Secunda conclusio: Contactus canis rabidi rabiem non potest gignere. Probatur, quia ij, qui canes rabidos candenti ferro ad Sacerdotes vrendos ducunt, eos tangunt, nulla inde suborta rabie, ergò contactus ille non potest rabiem in tangente excitare. Prætereà Dioscorides lib. 2. cap. 38. vbi de iecinoribus, ait iecur canis, qui rabie exagitatur, tostum, & in cibo ab emorsis sumptum, ne tententur aquæ metu tueri. Hic autem interuenit contactus, nec tamen generatur rabies, ergò ex contactu solo non fit rabies. Quamquam hac in re, ne quis ei nimium fidat, tutius est audire Galenum, qui lib. 11. de simpl med. fac. vbi de iecore canis rabidi hęc habet: Iecur canis rabietis, si assum edatur remedium existere ijs, qui ab ipso fuerint morsi, quibusdam est proditum: at scio certè quosdam, qui sumpsere, mansisse superstites, verùm non illo duntaxat vsos: siquidem alia prætereà remedia, quorum fecimus periculum in rabientibus, tunc adhibuimus. Audiui verò quosdam cum illi soli fidem habuissent, postea mortuos hæc ibi Gal.

Nota iecur canis rabidi quid possit.

Rabidū animal non agit in distās. Halitus non potest efficere rabiem. Quomodo possit efficere illam.

Porrò rabidum animal in distans non agit; etiamsi fortasse medium alteretur: hoc patet ex eò, quod nullum animal rabie afficitur, nec vnquam affectum est à cane rabido halitu, vel vicinia; nisi simul illum, vel momorderit, vel saliua, aut alio liquido humore infecerit. Quamquam halitu contrahi posse rabiem docet Aurel. 3. acutor. cap. 9. quod fiet saliua cum halitu exspirata, non solo halitu, qui vt solus, odore solo lædere potest, non tamen rabiem excitare nisi rarissimè.

Pal-

Palmarius libro citato cap. 1. expertus docet osculo rabiem fuisse communicatam à rustico, qui rabici oestro percitus, moxque moriturus, paululum intermittente furore, ad osculum liberos suos mox deserendos inuitauit. Oscula dedit, mox mortuus est: ad septimum diem liberi eodem morbo correpti, aequè saeuis symptomatis tentati, parem mortemque obierunt. Verum ego in osculum absolutè causam referre non possum; neque enim video, quomodo per contactum solum partium solidarum rabies possit communicari; scio enim cum eodem Palmario eodem loco citato, venenum rabiosum, vt & venereum, ac elephanticum crassum esse, nec per epidermidem facile recipi, difficillimè vero per solam epidermidem exire posse, & per passi epidermidem intro subire rabiem excitaturum multò difficilius immo impossibile iudico. Quare inconstantem, vel minùs sibi consentientem in eodem capite doctum Palmarium admiror. Sic ergo osculo rabies excitata est, dic id factum venenata saliua per osculum passo communicata; & facilem, veramque inuenis philosophandi rationem experientia comprobatam. Eadem ratione dices contraxisse rabiem equos, boues, & oues ex degustato stramine, in quo rabidi sues se se volutarant, quod addit ibidem Palmarius. Potuit enim in eo stramine recipi, & retineri suum saliua, vel corporis sudor rabida labe eodem modo infectus, quae omnia rabiem inficere posse certissimum est.

Osculo rabies excitata.

Osculũ quomodò efficere possit rabiẽ, & quomodò non possit.

Nota aliũ modũ, quo rabies cõmunicata est animalibus.

Tertia conclusio. Laceratio cutis ad efficiendam rabiem non est necessaria. Est contra Fracast. lib. 2. de morb. contag. cap. 10. qui putat semina veneni huius non esse admodum lenta, sed paulò crassiora, vt propterea per cutis poros se se insinuare

19\. Laceratio cutis nõ requiritur ad generationẽ rabiei.

non

Opinio contraria Fracastorij. Impugnatio Fracast.

non possint, sed duntaxat sanguini agglutinari: omnino autem falsa est, nam multos sola rabidorum saliua infecit sine morsu, ergò opinio hæc militat contra experientiam, & veritatem antecedens probatur ex Ioāne Matthæo de Grado qui tradit Ioannem Coqueranum rabidum factum fuisse sola impositione manus in os canis rabidæ, licèt ab ipsa demorsus non fuerit. Cardanus tradit Patritium Venetum osculo catelli rabidi rabiē contraxisse. Matthiolus duos vidit rabidos factos ex contractu spumæ canis rabientis, quæ notauit Marcellus Donatus loco iam citato. Ergo Fracastorij opinio contra experientiam pugnat. Secundò licèt verum sit, semina veneni huius aliquando esse crassa, ac proptereà in agendo, valdè lenta, & vt ibidem ipse ait, analogiam habere ad crassos humores, præsertim melancholicos, ex quo sequitur mora eorum in actione, quia aliquando tam diu latent, vt post annum, vel quinquennium, imò septennium, vt ab alijs est proditum [addo post decimum octauum annum hydrophobiam cuidam obuenisse à morsu canis rabidi ex Guainerio cap. 12. de venenis. Et Alzarabius Medicus Arabs memoriæ prodidit canis rabidi venenum annis quadraginta in corporibus delituisse apud Mercurial. de pestilentia cap. 14. Ex quo patet non malè creditum fuisse apud Auic. sexta quarti tract. 4. cap. 7. & Paul. lib. 5. cap. 3. post septem annos rabiem posse excitari, & interficere.] Duntaxat manifestentur: tamen hoc non perpetuò verùm est, alioqui sequeretur nunquam hoc venenū esse velox in sua actione, quod falsum esse probatur exemplo Lucretiæ illius, de qua supra num. 14. quæ duobus post diebus, non post annum interijt, & in Monacho Augustiniano apud Forest. lib.

Impugnatio p historias.

Ratio contra Fracast.

10. obseru. 27. cui dum imperitus Chirurgus nimis tempestiuè vulnus in facie, ac labijs morsu rabientis canis inflictum obduxisset cicatrice, post aliquot dies hydrophobus est effectus, ergò venena ista fuerunt velocia in actione. Dices ijs fuisse lacerationem cutis. Sed licèt illa interuenerit, non tamen ex eò probatur opinio Fracastorij. Ego enim ita argumentor in morsu cum laceratione, ac in sola saliuæ perfusione sine morsu, & laceratione. Nam videmus in cutis laceratione venenum aliquando valdè tardum esse in sua actione, aliquando promptissimum, vt ex historijs, quas afferimus patet, & videre est in ægroto nostro, de quo num. 1. in quo cum cutis laceratione venenum tres totos menses latitauit, quod tamen duobus diebus Lucretiam interfecit; ex quo colligo in morsu nunc tardiùs, nunc citiùs se se in internas partes insinuare. Atq; ita credo illud, quod duobus diebus Lucretiam cũ morsu interfecit, perempturum fuisse eum, quem contigisset duntaxat, duobus, vel tribus mensibus. Imò furor Mediolanensis, de quo supra, sine cutis laceratione paucis diebus necatus est, ergò cutis laceratio, & solutio cõtinuitatis necessaria non est. Serpit hoc venenum miris modis, & se se per cutis poros insinuans, vicinasq; partes inficiens, tandem microcosmum crudeliter ad mortem adigit.

Quarta conclusio. Saliua sola demorsum à cane rabido perfundendo, siue alia qualis ratione rabiem excitat. Probatur primò ex Galeno lib. 6. de loco aff. cap. 5. vbi apertè hæc habet verba: solum eius [loquitur de cane] sputum, si humanum corpus contigerit, rabiem excitare. Ergò non morsus, non dentes, non cutis laceratio, non halitus, sed liquidæ partes excrementitiæ, quale est sputum, ra- 20. Saliua rabidi est causa immediata rabiei. Probatio 1.

biei causa eruit. Idem docet Leuinus lemn. lib. 3. de occultis nat. mirac. cap. 3. Secundò probatur, quia sæpè morsu curato, & cutis laceratione emendata, tamen remanet rabies, ergò quia saliua venenata se se in internas partes insinuauit. Tertiò sutor, de quo supra, sola saliua rabidus est factus, ergò saliua rabiem excitat. Hinc est, quod Auicenna docuit cum alijs multis Arabibus optimum esse signum curationis cum ex vulnere magna sanguinis effluit copia, quia nimirùm eius fluxu educitur saliua, ne se insinuet in cutis poros, vel insinuata foras pellitur, vt ideò tuti à rabie commorsi reddantur. Quartò vrina canis rabidi calcata nudis pedibus, ab eo presertim, qui vlcus in ijsdem patiatur, maximè nocet, ergò signum est in partibus liquidis (quanquam propriè partes non sint) verè virus contineri. Dixit enim Galenus solum sputum rabiem efficere, quia id communiter accidit; vrina enim, & alia liquida rabidorum animalium excrementa idem efficiunt, & præsertim vrina canis rabidi; nam vrina etiam non rabidi quodammodo venenata est, vt proptereà qui in eam suam vrinam egesserit, torporem lumborum dicatur sentire, quod notauit Plin. nat. hist. lib. 29. cap. 5. Neque verò contra hoc facit, quod tradit Celsus lib. 5. capi. 27. curationes omnes prosecutus aduersus omnes morsus serpentium, quam communem etiam vult etiam morsui canum rabidorum, vbi docet hominem adhibendum, qui vulnus exsugat, & addit: Neque hercules scientiam præcipuam habent hi, qui Psylli nominantur, sed audaciam vsu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, vt quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tuto

Probatio 2.

Tertia.

Quarta

Vrina canum etiam non rabidorum est perniciosa.

Obiectio contra dicta ex Celso lib.

estur, ictus eius occidit. Et si stupente ea, quod per quædam medicamenta circulatores faciunt, in os digitum quis indidit, neq; percussus est, nulla in ea saliua noxa est. Ergò quisquis exemplum Psylli sequtus id vulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit. Illud, ne intereat, ante debebit attendere, ne quod in gingiuis, palatoue, aliaue parte oris, vlcus habeat. Hactenus Celsus. Sed errat, primò vim istam negans Psyllis contra rationem, vt nos alibi demonstrauimus; & contra authoritatem non tantum neotericorum, sed etiam antiquorum plurimorum. Præterea saliua venenatorum horum vulnus tangens inficit, ergò & cutem solam attingens. Consequentia probatur, quia tangens solam superficiem cutaneam peruenire potest quò peruenit contingens immediatè vulnus, ergò & eadem mala inferre. Probatur, nam licèt serius, tamen à cute per poros ferri potest in partes internas, ibiq; non potest rabiem non excitare. Ad hæc sutor Mediolanensis hac ratione contraxit rabiem, ergò fallitur Celsus. Deinde cur interibit sugens, si vulnus in ore habeat? nonnè quia per vulnus venenum statim ad cor feretur? at eòdem per cutis poros deferetur, licèt serius. Adde experientiam rerum magistram. Forestus vidit multos hoc modo infectos. Palmarius osculo rabidos pueros factos, & ex rabie mortuos animaduertit, vt supra diximus: vt iam nullum supersit dubium, cum sententiam hanc experientia confirmet, eiq; vrgentissimæ rationes adstipulentur. Neq; enim omnia antiquis nota: Galenus ignorabat sumi nè intrò posse argentum viuum citra veneni periculum, nos sumi, & cõtra vermes, & præsenti remedio aduersus partus difficultatem experti, alios viros doctissimos

Celsi reprehẽnso pro virtũte Psyllorum.

Saliua rabidi sola contactu cit rabiẽ.

Alia contra Celsum.

Argentũ viuũ contra quos morbos intrò sumatur.

imitati, cognouimus, vt & alia multa contra omnium antiquorum dogmata. Itaq; periculum alij proſpicientes, iubent ſugentem non ſolum non ieiunum eſſe, ſed vino os prius colluere, cotoneum malum præmandere, vel oleū exiguum ore continere cum Fernelio de abdit. rerum cauſ. lib. 2. cap. 19. quem ſuctionem hanc tutam non iudicare ex verbis illius patet. Præterea vt quid iubet Aetius exſucturum prius oleo os colluere? ad quid vult Paulus, ne idem ſit ieiunus? vt quid Guainerius ex triuio hominem eligit, cui etiam os vult colluI decoctione dictamni? an vt periculum minus aduertatur? Denique Lemnius doctiſſimus apud Mizald. cent. 5. num. 96. non leuem contrahi docet noxam, ſi ſpuma, aut ſaliua rabioſi canis, vel elephantici hominis, alicui corporis parti adhæſerit, etiam citra morſum, præſertim in parte neruoſa, vel arterioſa; niſi confeſtim ſalſugine eluatur, vt apud ipſum Leuinum eſt videre lib. 3. de occ. nat. mirab. cap. 5. Sed contra ea, quæ hac concluſione à nobis dicta ſunt, fortaſſe aliquis obijciet ex Cęlio Aureliano ſola inſpiratione multos rabiem contraxiſſe; alios ex ſola laceratione cutis ab vnguibus rabientis canis facta, ergò non ſola ſaliua, ſed contactus ſimplex canis rabidi rabiem poterit efficere. Sed hæc nihil contra nos concludunt. Equidem concedo inſpiratione poſſe cōtrahi rabiem, ſed id ex eo fit, quod cū aere exſpirato à rabido cane, ſaliuæ tenuiores partes efferuntur, quod verum eſſe ex eo patet, quod vtres inſpirato aere tumidi ſæpè plus pendent, quam ijdē compreſſi non ob contentum aerem, qui in ſuo naturali loco ex Philoſophis non grauitat, ſed ob ſaliuæ tenuiores partes cum ſpiritu in vtrem exſpiratas. Itaq; particulæ iſtæ ſaliuæ à cane rabido expiratæ,

Quæ ſuſpectam reddunt Celſi opinionem, & nō tutam, nec boni Medici continent.

Pars, quā tetigit ſaliua, v. ſpuma rabidi, ſtatim ſalſugine eluenda.

Obiectio ex Aureliano.

Solutio.

ratæ,& in patiente corpore receptę rabiem poſſunt communicare,quam ſola,ſimplexq; inſpiratio nullo modo poſſet efficere. Quod de laceratione cutis ab vnguibus facta dicitur, verum eſt, ſi vngues canis rabidi ſaliua perfuſi eſſent, ſecus rabies non gigneretur. Itaq; ex his nihil contra nos concludi poteſt.

Quinta concluſio. Dico dentes canum præſertim rabidorum peculiarem quandam in morſibus habere malitiam, licèt non talem, quæ ad rabiem excitandam ſufficiat. Probatur, quia multæ vires occultæ in dentibus latent; nam morſus hominis, imò & omnium animantium peior eſt omni alio vulnere data in reliquis paritate, quod multò magis verum eſt,ſi homo,vel aliud animal ſit ieiunum, quod non alia de cauſa fit, niſi quia dentes peculiare obtinent virus, quod aſſumpto cibo aliqua ex parte miteſcit. Nec enim attribui hoc ſaliuæ poteſt, cum ieiuni ſaliua ſerpentes ipſos enecet, vt omnium auctorum auctoritate confirmari poteſt. Adde, quod hominis dētes nudati ſpeculi nitorem ex aduerſo hebetant,& columborum fœtus implumes necant, vt docet Plin. nat. hiſt. lib. 11. cap. 37. Præterea menſtruatarum fœminarum contagioſum fomitem dentes potiùs,quàm aliæ partes obtinent, hoc autem ex eo patet, quod ſpecula etiam ſed inſigniter inficiunt. Nec tribui poteſt cum multis hæc infectio ſolis oculis, cum idem in cæcis menſtruatis etiam ſeruatur. Denique ira tota occiſorum recenter aprorum in dentes effunditur, ita vt adeò feruęant, vt admotos capillos nonnumquam exurant ex Cardan. de rer. var. lib. 7. cap. 33. cur ergò in dentes, non in alias partes erūpit,niſi quia dentibus peculiaris à natura indita eſt labes? Ex quibus iure

In dentibus canū peculiaris latet malignitas.

Exorabula.

Aliud.

Aliud.

Aliud.

inferre mihi posse videor, rabiem, quæ à saliua ortum trahit malam esse, sed pessimam, quæ à saliua simul, & dentes proficiscitur, cuius ratio ex hic appositis per se patet.

QVOMODO SALIVA CANIS
rabiem faciat, & demorsi a rabido cane cognitio, & prognosis.

CAPVT VI.

22. IAM videndum est, priusquàm vlteriùs progrediamur, quanam ratione saliua canis rabidi hydrophobiam possit inferre. Mirum enim multis videtur, quomodo saliua domestici animantis tam sæuum affectum possit efficere, cum sæpè superficiem solam corporis contingat. Vbi ergò recepta est saliua, vel in loco vulneris, vel cutis poris, nunquam ociatur, sed in partes, quas tangit agens continuè, quod potest virus in illas imprimit. Omnis enim actio fit per contactum, & agentia naturalia debitè applicata quantum possunt agunt, & in suo genere perfectissimum opus moliuntur. In solidas partes, illis fortè vi actiua inferior, saliua, sensibiliter saltem, non agit, [licèt Galenus aliud quid videatur docuisse com 2. in primum Prorh. Hipp. text. 17. contra quod videtur ratio pugnare.] Sed in spiritus malignas suas vires exercet. Hi tres sunt ex multorum Philosophorum, & Medicorum sententia, animales, vitales, & naturales. Priùs itaq; rabies non excitatur, quum ad spiritus virus peruenerit. Plin. lib. 11. cap. 37. rabiem tum efferari ait, cum ad sanguinem animalium venenantium saliua peruenerit. Sed alij fortasse meliùs tum volunt excitari,

Explicatur actio saliuæ rabidi canis in procreãda rabie.

In quas corporis partes agat saliua.

Quando nam rabies excitetur.

cum eadem neruos, & animalem spiritum attigerit ex eo, quod cerebri operationes priùs lædantur, quum cordis, vel hepatis. Alij deniq; vitales priùs corripi adstruunt, quia venena cor primò petunt, debent ergò id efficere medijs spiritibus vitalibus. Verùm, vt mihi quidem videtur, omnes indistinctè loquuntur, corripiuntur enim omnes spiritus, ita tamen, vt primo animales, tum vitales, ac naturales lædantur, de quo in fine enucleatiùs differemus. Hic itaq; est processus veneni, vt per poros ad interna penetret, & contactu spiritus inficiat, & per illos partes principes, potissimùm verò cor, quod vbi expugnarit, cessat vita; cuius illud est principium, & origo prima. In quo etiam sciendum est, licèt venena omnia, & omnis cuiusuis rabidi canis saliua sit maximè virulenta; tamen ieiuni canis omnium esse peiorem, constat apud omnes, vt & ieiunorum cæterorum animalium, quod supra docuimus, & docet Auic. sexta quarti tract. 3. cap. 2. & Celsus lib. 5. cap. 27. de anguium Italorum ictibus, vbi reliquis omnibus ieiuni, & ieiuno magis vult nocere. Sed iam videndum est quænam sequantur demorsos symptomata, vt morbo cognito, legitimis illi remedijs occurramus.

Affecto animali spiritu fit rabies. Alia opinio. Auctoris circa hæc opinio. Ieiuni canis rabidi saliua deterior non ieiuni.

Primò quidē adest insania; disparatæ cogitationes, [deprauatur enim imaginatio læsis spiritibus animalibus à veneno] somni horridi, corrupti, ad iram facilitas, mens tota non constat, lucē fugiunt, conuelluntur, [conuelluntur, & tremunt ob consensum oris ventriculi cum neruorum genere, inquit Cassius loco cit. subdit: eadem quoq; de causa tentigine pudendum illis erigitur: nam hydrophoborum, & cōstitutio, & affectus est obstructio quædam stomachi, & ventriculi.] Aquam timent, &

23. Enumeratio signorum, q̄ nos in cognitionē deducere possūt quem à cane rabido fuisse demorsum.

res omnes liquidas, ac diaphanas (quas tamen appetunt quam maximè) in quibus canes sibi videre videntur, latrant more canum, alios appetunt mordere, quod & minantur, ex quo rabies sequitur, vt & ex assumptis reliquijs illorum cibi, imbecillem habent motum progressiuum, adsunt oscitationes, palpitationes, obuersantes ante oculos tenebræ, singultus, oris siccitas, inexhausta sitis, quam sedare non audent, rubedo faciei, raucedo (quales etiam sunt canes rabidi) nauseant ad humidorum aspectum, sperma profundunt, vel nollentes, sudant frigidum, eorum vrinæ modò videntur pingues, modò tenues, nunc rubræ, nunc nigræ, modò turbatæ, modò in ijs frusta carnium, vel canum, aut aliorum animantiũ species videntur. [Nam quod Arabes docent hydrophoborum vrinas semper esse nigras, experientia nos docuit esse falsum.] Os spumat, frendent dentibus, oculi torui, aluus suppressa, cor tentatur, iam adest syncope, modò stare nec possunt, nec quiescere, huc illuc aguntur, manibus se se vel concutiunt, vel tanquam maniaci lacerant. Horum modò plurima, modò quædã, modò omnia adsunt, prout rabies crudelior, vel mitior, vel hydrophobię tempus minùs, vel plùs abest.

Modus distinguẽdi hydrophobiã imminentẽ a præsenti.

Porrò imminentem hydrophobiam à præsenti ita distingues, vt imminentem illi denuncies, qui demorsus à rabiente cane sit solito tristior, somnia vana fingat, à ratione abhorrentia commisceatur, raucam habeat vocem, leuibus horripilationibus tentetur, lumen auersetur, lachrymetur sine causa, si deniq; citra febrem plùs æquo sitiat: præsentem verò hydrophobiam cognosces, si demorsus sui non sit compos, si facies rubescat, & sudet citra febrem initio, si potum, & maximè appetat, & violenter

refugiat, ſi morſu adſtantes petat, in eoſq; conclamet raucus, ſi in ſpeculo ſe ſe intueri non poſſit, & mente nullo modo ſibi conſtante furibundus conuellatur modò metuens, modò furens. Hæc ſunt argumenta diſtinguendi. Atq; hæc de ſignis pathognomonicis. Quoad prognoſtica hæc ferè ſunt: Demorſi à cane rabido, modò vulnus ratione partis affectæ ſuaq; natura non ſit læthale, ſi congruentibus citiùs curentur remedijs euadunt. Qui autem curandi ſint, inferiùs tradetur. Sed quidquid imminet periculi ex hydrophobia futura impendet. Itaq; curandum eſt, vt ne huiuſmodi fiant, quod pleriſque modis ſolet contingere, tum præſertim, ſi ſorbi, vel corni vmbram attingant ex Thyanæo, Fracaſt. & alijs. Quod ſi ſanguineæ virgæ, quam attractilida quidam eſſe putant, tandiù manibus teneantur, donec incaleſcant, illicò demorſi a cane rabido rabie exagitatur ex Matth. apud Mizald. cent. 8. num. 29. Ad hæc ictus à venenoſo reptili, ſiue à rabioſo cane demorſus, diligenter cauere debet, ne animal cuius cauſa laborat, intueatur ante adeptam priſtinam valetudinem, etiamſi conualeſcere incipiat. Aiunt enim Medici Hæbræi illum, aut interiturum, aut è recidiua periclitaturum ex eodem Mizald. ibidem num. 71. duobus autem modis hydrophobus quis fieri, poteſt nempè ex morſu hominis rabientis, & canis rabidi. Si ex morſu hominis, licèt difficillimè, curari tamen fortaſſe poteſt. Sic duos huiuſmodi homines curatos tradit Auicenna, nempè Themiſonem, & eum, de quo refert Eudemus apud Dioſcoridem lib. 6. cap. 36. & ijs aliquam ſpem ſupereſſe docet, qui & ſe ſe videre in ſpeculo ipſi patiuntur, & in eodem ſe ipſi agnoſcunt. Id ſi non contingat, iacta omninò eſt alea. Si autem hydropho-

Signa prognoſtica.

Nota.

Cautio cum prognoſi.

Hydrophobia ex morſu hominis curabilis.

Hydrophobia ex morsu canis rabidi incurabilis est.

Demorsi fiunt hydrophobi post dies 40.

Post 3. vel 4. menses.

Post 8. menses.

Post 7. annos.

Post 18. annos.

Post 40. annos.

Ratio, qua hic citius, ille tardius rabie corripiatur.

bia morsum sequatur canis rabiosi, nulla vitæ spes superest in vnum consentientibus Doctoribus omnibus. Solus Plinius lib. 25. nat. hist. cap. 2. indiscriminatim tradit curari posse radice syluestris rosæ, quam cynorrhodon vocat, vt infra trademus. Porrò demorsos hydrophobiam incurrere post dies à morsu quadraginta docuit Auic. loco supra citato. Aliquādo post tres, quatuor, vel multò plures menses tradidit Galenus comment. 2 in primum Prorh. Hippocr. text. 17. aliquandò post octo menses docet Fracast. aliàs post septem annos Dioscorides, & ex alijs Auic. quibus tamen ipse, & malè, non credidit. Deniq; post decem, & octo annos ex Guainerio, & quadraginta ex Alzarabio, à morsu rabies sequi potest, vt supra docuimus. Hæc ab experientia dependent. Vt enim dari potest saliua actiuior, & actiuior ita tardior, & tardior in actione, vt ergo annotauit Guainerius ex fide dignis hydrophobiam accessisse post decimum octauum annum à morsu, ita post illum multò serius Alzarabius, & in posterum fortè videbunt aliqui tardius operās venenum, nec enim rei naturæ repugnat, eam tamen demorsus incurret omninò, nisi obuiam congruentibus remedijs illi eat Medicus. Id autē quomodo fieri possit sequenti capite prosequemur.

CVRATIO DEMORSORVM à cane rabido.

CAPVT VII.

24. QVONIAM res corpori demorso inhęrens ex ijs est, quæ toto genere sunt præter naturam, omninò indicatur eius expulsio, & è

cor-

corpore eductio. Quapropter repellentia prohibentur, quippè quæ venenum ad interiora pellendo maioris periculi causa esse possent in eorum locum substitui possunt extremarum partium validiores ligaturę, quæ humores ad partes extremas ab internis, & præcordijs reuellentes pabulum veneno subtrahunt,& impediunt,quo minùs extensiuè virus incrementa suscipiat. Sed ante omnia Galeni præcepto lib. de Ther. ad Pison. cap. 16. vulnus illicò maius est faciendum, & caro circumquaque auferenda, & ad rotundiorem figuram vulnus redigendum, ne facilè cicatricem obducat, sed apertum longo tempore perseueret, saltem quadraginta diebus, quo rabidi canis venenum egredi queat: Narrat idem lib. de sectis cap. 8. duos fuisse à cane rabido demorsos, quorum vlcus ita esset exiguum, vt ne tota quidem cutis esset discissa. Vnius, cui aduersa fortuna contigit manus imperiti experiri, statim vlceri adhibita curatio, & paucis diebus sana est pars effecta. Alterius vulneri Medicus dogmaticus, & tanquàm optimus Philosophus rerum causas contemplatus, non tantùm cicatricem non induxit,sed amplum magis vulnus efficiens,quo virus efflueret,non ante cicatricem admisit,quàm ad multum tempus acribus medicamentis externis, & internis ad propulsandam rabiem potionibus exhibitis,periculum futuræ hydrophobiæ auerteret. Ita factum est, vt hic seruaretur; ille nihil tale cogitans, aquæ formidinem incurrens conuulsus interierit. Idem præceperat eodem libro cap. 4. vbi calida, & acria medicamenta huiusmodi vulneribus apponenda esse præcepit ad veneni extractionem: quam in rem miris laudibus Conciliator differentia 170. Theriacam diatessaron cataplasmatis modo appli-

Repellétia cur prohibeantur in hac curatione.

Ligaturę extremorum laudãtur & cur.

Vulnus amplificandum.

Diebus quadraginta apertum conseruandum.

Historijs Galenicis id cõfirmatur.

Theriaca diatessaron.

catam euexit. Ad eandem intentionem iubet Celsus libro, & capite citatis permittendum, imò omni arte procurandum, vt plurimum ex loco vulnerato sanguinis effluat, quo plus, vt ait, vitiati iam sanguinis extrahatur. Porrò dum hæc fiunt, omittendæ non sunt ligaturæ validissimæ inter partem affectam, & cor, vt doctè etiam tradidit Valescus lib. 7. cap. 43. etenim ijs prohibetur, preter iam dicta, quominús venenatus, vel humor, vel vapor ad cor ascēdat, ac in corpus vniuersum diffundatur, minúsque malum serpit. Faciendæ autem huiusmodi sunt ligaturæ ex corio cerui, quod contra venena omnia indiscriminatim plurimum prodest, vt docet Guainerius. His peractis Celsi decreto locus est vrendus, quæ vstio communi Doctorum consensu summè commendatur, imò Auicenna nullum topicum remedium huic malo æque prodesse docet, ac cauterium actuale, quod si non possis adhibere aliquo adiacente impeditus, ad rubificantia emplastra poteris confugere, ex quibus si non parem, maximam tamen vtilitatem consequeris. Sunt enim in trahendo efficacissima, id autem in huiusmodi casibus, vel vnum expetitur. Sed actuale cauterium excellentissimum, nam dolorem magnum inducit, ratione cuius fluxio magna humorum in corpore existentium ad vstum locum concitatur. In quo motu rationi congruum est, si quod intrò iam subierat, etiam extra corpus, vel ad vulneris superficiem detrudi. Partes enim, seu membra particularia ad partem dolentem non solùm præternaturales, sed etiam inculpatos, & naturales humores, quibus nutriri possunt, amandabunt, multò magis venenatos. Itaq; siue penitiùs se se insinuauerint, siue in partibus superficiei proximis constiterint, hac

Sanguinis sopinus effluxus procurandus.

Ligaturæ aliæ: & vbi faciendæ.

Quo vinculo ligaturæ faciēdæ.

Vstio vulneris cōmendatur.

Vstione impedita rubificantia emplastra adhibenda.

Actuale cauteriū excellēs cur sit.

Ad locū dolētem naturā transmittit humores omnes.

arte ad superficiem euocabuntur partes veneno coinquinatæ. Ibi actuali facultate ignis consumentur extincta veneni malignitate, & adusto vitiato humore, ac in vocatam escharam adassato. Quare Dioscorides cap. 38. libri 6. vstionem expeditissimũ auxilium nuncupauit, vt potè cum ignis cætera viribus præstet, simul quòd virus domet; & ferri penitiùs non patiatur: simul quòd pars ignem experta, postcà non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat manente diutiùs exulceratione. Eschara decidente butiro superimposito, vel alijs similibus, vulnus apertum diutiùs ad eandem intentionem conseruandum. In quo tamen diligenter animaduertenda est conditio partis affectæ: si enim ea musculosa sit, vel neruosa cauterio locus non erit ob maxima pericula, quæ tamen contemnenda etiam essent, nisi aliam viam curationis nos ars edoceret; quæ media, & auxilia plurima subministrat, vbi vel non possumus, vel actuali cauterio vti nolumus. Ergò si ex natura musculosa, vel neruosa loci affecti, cauterio locus non sit, sanguinem ex vena mittendum esse docet Celsus lib. 5. cap. 27. suæ medicinæ, vbi curationem morsus rabiosi canis prosequitur. Sed hac in re magna est inter auctores altercatio. Etenim multi, imò ferè omnes, sanguinis missionem tantùm admittunt post tertium, vel quartum diem, verentes, nisi priùs illa vtantur, venenum introrsum trahant; quod omni artis ingenio extra esset euocandum. Videntur isti sequi auctoritatem Auicennæ 6. 4. tract. 4. cap. 9. vbi hæc habet. Cum ergò trahis quod tibi possibile est post duos dies, aut tres, tunc occupare in euacuando; quod iam forsitan penetrauit. Et si facta non fuerit attractio, & acciderit negligentia, tunc euacuatio in ea hora erit ma-

Eschara cadente quid agẽdum.

Quãdonã cauterio actuali non sit locus.

In hoc casu sanguinem mittit Celsus.

Sãguinis missione multi nõ admittũt nisi post cẽsdies.

Ratio horum.

Auctoritas Principis ad idem.

gis necessaria, & meliùs est, vt sit fortior. Et si videris repletionem augmentatam, phlebotoma, & si non, tunc non. Et cum phlebotomas, tunc non dimittas eum intueri sanguinem suum, & propriè in fine rei. Hæc ille. Ex quibus inferunt non licere sanguinis missionem, nisi transactis tribus diebus, quibus venenum iam per totum corpus est diffusum, quod commodè potest, & sanguinis missione vacuari, & pharmaci validioris exhibitione. Verùm isti, vt mihi quidem videtur, non penitiùs contemplati sunt Principis mentem. Nam inquit applicatis congruis attrahētibus extra venenum, nec tamen cedente veneno, sed ad interna persuadente, mittendum esse sanguinem: multò magis mittendum esse, si attractio ad externas partes facta non fuerit: verùm in hoc non negat priùs ex lege sanguinem mitti non posse. Vult enim stante plethora initiò venam secari, vt veneno pabulum subtrahatur, idq; quantò citiùs fiet, tantò meliùs. Nam stante plethora, attrahentia venenum trahent etiam multam humorum copiam, qui ex contactu inquinabuntur. Ex hoc autem quis non videt periculum imminens? si autem plenitudine corpus non laboret, tunc vena non erit secanda, sed solis attrahentibus vtendum. Hinc Princeps ante citata verba ait: & non oportet, vt properes in diebus primis ad euacuantia, sed occupare in trahendo ad exteriora. Ex quo insinuat ex duabus indicationibus, quas habemus initio, nempè attractione veneni ad exteriora, & reuulsione materiæ antecedentis per phlebotomiam, & pharmaciam, ne maior copia humorum contaminetur, potiorē esse illam, quæ id, quod omninò præter naturam est è corpore educat, minùs verò principalem hanc, quippè quæ semper ne-

Horū reprehēsio. Explicatio Auicennæ.

Stāte plethora initio mittē dus sanguis.

Extra plenitudinem sola attrahentia curant.

Indicationes duæ, & vtra potior.

cessaria non sit, vt curatio etiam aliquādo fieri possit sine ea, etiamsi corpus sit plenum, licèt non ita commodè, & tutò. Addit Princeps: Nam euacuatio quandoq; adiuuat ad hoc, vt venenum penetret ad profundum, & prohibet attractionem eius ad exteriora. Et quoniam ipsa trahit humores ad interiora, tunc trahit cum eis venenum. Sed hæc intelligenda sunt de pharmacia eradicatiua, quæ vacuat à tertia corporis regione, & de plus æquo copiosa sanguinis missione, quæ non tantùm euacuat id, quod tollendum esset, ne tanquàm afficienda materia veneno subijceretur; sed id etiam, quod in parte ipsa venenata inhæret iam infectum in venas maiores reuocare potest. Ex quibus patet Auicennam tantùm intendere, insistendum esse potiùs attractioni, quàm phlebotomiæ; hanc tamen non esse omittendam vbi adest plethora etiam in primis diebus ad euitandum periculum, multò magis post tres primos dies, quibus iure coniectare possumus, venenum, si attractum non est, per corpus iam esse quoquomodo diffusum. Maneat ergò initio facta vulneris dilatatione, & procurata sufficienti sāguinis effusione, in corporibus plethoricis phlebotomiam esse faciendam ad intentionem assignatam. Sic video in praxi fecisse virum doctissimum Petrum Forestum obseruat. 11. lib. 30. qui est de venenis auctoritate Gisberti Horstij Amstelredami præceptoris sui, & eiusdem Horstij magistri Laurentij Gordiani Medici præstantissimi: sic etiam refert Celsus loco citato aduersus ictum scorpij se cognouisse Medicos, qui à scorpione ictis [eadem autem est ratio in demorsis à rabiente cane] Nil aliud, quàm ex brachio sanguinem miserunt. Vt propterea ratione nixus, & experientia tantorum

Periculum purgationis initio factæ.

De qua purgatione id intelligatur.

Conclusio huius disputationis.

Confirmatio illius auctoritate Foresti.

Ex Celso.

Cur phlebotomiati suũ sanguinẽ nõ debeant inspicere.

Clyster specificus contra rabiẽ

Quę purgatio decernẽda. ex Almãsore initio... Refellitur ab Auicenna... sed vera sententia procedente rabie qualis purgatio conueniat.

virorum constanter asseram missionem sanguinis corporibus plenitudine laborantibus in demorsis à canibus rabidis primis diebus valdè necessariam esse, & post primos dies multò minus esse omittendam, si initio facta non fuerit. Nam & procedente malo secundam missionem sanguinis non veretur Princeps præscribere, nullũ enim hoc auxilio melius, vbi massa sanguinea hoc veneno est contaminata. Obiter autem eos prohibet Auicenna missum sanguinem intueri, quia ex liquidorum visu, vt & aquæ formidinis eiusdem periculum impendet. Facta missione sanguinis, quam communi ratione debet enema præcedere, [extinguit rabiem caninus sanguis rabiosorum clysteribus adhibitus ex Mizaldo lib. 3. de arcanis naturæ.] Ne maior impuritas venas subeat, de pharmaco purgante exhibendo cogitandum. Almansor initio cum melanagogis demorsos à cane rabido purgandos esse contendit. Contrà quem Auicenna loco citato primis diebus exhibendum non esse docuit, & iure: nam validum præsertim, quale dandum esse pro tempore iubet, venenum ad interna pertraheret, cum ad corporis habitum vsq; vis illius perueniat. Leniens autem quouis tempore dari potest, nec enim attractionem veneni ad exteriora potest impedire. Verùm vbi venenum ad partes internas delatum est, [id autem modò citiùs fit, modò tardiùs, prout venenum magis, vel minùs promptum, & aptum est ad agendum, vel via patentior.] Tunc pharmacum est necessarium, idq; eradicans; cum nullam materia concoctionem admittat, & impetuosissimè, si qua alia hirci more salacissimi turgeat huc, illuc, cum furore insolito delata. Sic Palmarius cap. 3. lib. de morsu canis rabidi multos

se cognouisse rusticos affirmat, qui demorsi à rabidis canibus ab impendente hydrophobia se se liberauerant validissimo per os medicamento deuorato, quod vehementissimè per secessum & vomitum omnis generis humores è corpore deturbaret. Id confici docet potionis forma ex ruta, absinthio, allio, bellide minore, calendula, mellisophillo, pauco elleboro nigro, sale, & aceto, melanagogum autem debet esse purgans, quia humores aduruntur, & in atram bilem, quam adustam vocant ferè conuertuntur. Omnium efficacissimum auxilium helleborismus, cuius præparationem, & vsum docet Oribasius 7. collect. cap. vltimo, cognoscuntur, quo cum fiducia non semel, atque iterum, sed frequentiùs ante quadragesimum diem, vel post hoc tempus vti licet. Tantam enim vehementiam hoc auxilium habere fertur, vt quidam, qui iam aquæ metum sentirent, sumpto helleboro simul ac morbi primum impetum experirentur, fuerint seruati. Nã & iam initio tentatos nemo vnquam seruare potest inquit Dioscor. cap. 39. lib. 6. Paulus Aegin. lib. 5. cap. 3. laudat eodem modo veratrum sæpè assumptum, & vsum elaterij quotidie deuorati cum decocto saluiæ. Vbi verò vlcus ad cicatricem perduxeris tunc albo etiam veratro purgandum ad totius affectionis destructionem prædicipit Aet. tetr. 2. serm. 2. cap. 24. Nam, subdit, & rabiosi canes hoc cum polentà accepto vomunt, & statim resipiscunt à rabie liberati. Ego tamen nigrum magis probarem, & multò magis illius extractum. Fieri etiam poterit, quod opus est, si per Ruffi pillulas infrà purgaris vbi quid prohibuerit veratri purgationem. Præterea iubet quotidie dari hyeram non ad purgationem, sed tanquàm auxiliare medicamentum nucis

Specificũ in casu medicamentum.

Helleborism' est efficacissimus.

Vide experimentũ illius.

Veratro locus est etiam post vlceris curationem.

Nigrone, an albo vtendum.

Ruffi pillularum per dictos vsu hellebori.

Hydra etiam curat specificè.

auellanæ magnitudine cum cyatho decocti saluiæ, aut herbæ syderitis. Et quoniam medicamenta purgantia reiterari sæpius debent, ideò per media interualla humores præparandi erunt ijs, quæ peculiari dote venena respiciunt, cuiusmodi est hic syrupus: Rec. fol. scordij, allij, rumicis, chamędrios, alyssi ana M. i. radicum scorzoneræ, Angelicæ, Asclepiadis ana vnc. semis. fiat decoctio S. A. cuius Rec. vnc. 4. syrupi de succo galegæ, syrupi de corticibus citri ana drach. sex, misce pro syrupo, quem capiat ex consilio Medici diebus intermedijs præscriptis. Dum præparantibus his potionibus vtetur æger, clysteres sæpius infundentur ex solo oleo, & aqua, qua vtendum est modis omnibus (cum cautione tamen alibi allata) quippè quæ maximè profutura credatur ab omnibus. Præterea etiam sæpius oleo communi tepente totum corpus illorum fouebis, vt omnia arte humectentur. Ad hæc vbi in internis iam partibus firmatum est virus, vomitum ciere conducit quàm maximè, qui solus assumpta venena curare potest, si opportunè procuretur, & hoc tempore eadem est ratio in inflictis. Sed curationem vulneris prosequamur. Vbi locus vstus est, escharæ casus procurandus: vbi vstus non est, attrahentia mox sunt adhibenda, vt totis viribus venenũ eximatur. Hæc autem vel intrò assumi possunt, vel exteriùs affecto loco applicari. Inter interna numeratur meri vini potio cũ pipere Celso, quia sic calor mouetur, nec humorem intus coire patitur. Diuretica etiam valdè conferunt, & attenuantia, & sudorifica, superflua enim per corporis superficiem depellunt. Quidam, inquit Celsus, post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt, ibique patiuntur desudare, dum vires corporis si-

Syrupi descriptio.

Clysteres alij.

Vomitus quando conueniat.

Loco vsto quid agendũ, & quid nõ vsto.

Extrahentia venenum interna.

Diuretica.

Balneũ ad sudorem.

nunt, vlcere adaperto, quo magis ex eo quoque virus distillet; deinde multo, meracoq; vino excipiũt, quod omnibus venenis contrarium est. Idq; cum ita per triduum factum est, tutus esse homo à periculo videtur. Hæc ille. Pari ratione somnus prohibendus, quòd à superficie ad centrũ trahat. Mox alexipharmacis vtendum, præsertim Theriaca Andromachi, quã Auicenna cum Galeno vnicè commendat, cum medicamento ex cancris composito. Theriaca excellentiorem præstabit medelam soluta, quàm in bolo deuorata, citiùs enim per vniuersum corpus deferetur, præsertim, si aqua galegę dissoluatur. Itaq; Galenus de Ther. ad Pison. cap. 16. Theriaca intus, & extra in rabientibus vtitur. Præterèa cochlear succi radicis ebuli cum vino sumpti venenum quodlibet siuè extrinsecus afficiens, siuè intrò sumptum infallibiliter curat Arnaldo Villanouano libro 3. practicæ cap. 15. Ad hæc meminit Pausanias in Arcadicis, apud Cyrenetenses populos, fontem esse medicatarum aquarum, qui à proprietate, quã habet ad morsum rabidi canis, Alysson vocatur. Est enim lurra rabies. Galenus ex Asclepiade in 2. de antidotis ad aquas iam timere incipientes, mirabilem testatur aquæ potum, in qua fabri ferrum extingunt, quæ habes apud Baccium lib. 3. de thermis in fine cap. 3. ad quod etiam proderunt aquæ frigidissimæ recens inuentæ sub Nucerio Vmbriæ oppido, de quibus Amatus in Centurijs, & Fallopius in lib. de tum. præter nat ex eodem meminerunt. Medicamen verò ex cancris sic parandum est ex Aetio loco citato, & alijs compluribus, qui id à Galeno sunt mutuati. Recipe cancrorum fluuialium magnorum viuorum in vase æris rubri vstorum cineris dextãtem, gentianæ quicun-

Somnus cur prohibeatur.

Alexipharmaca.

Theriaca.

Medicamẽto ex canoris.

Theriaca melior soluta.

Intus, & extra adhibetur.

Succus radicis ebuliquã efficax.

Fontis cuiusdã proprietas ad rabiem.

Aqua chalybeata ferrariorũ.

Aqua sub Nucerio.

Præparatio medicamenti ex cãcris.

cem, thuris vnciam vnam, præparetur mense Augusto luna decima octaua [alij præparari volunt post ortum canis luna decima quarta cum Sol Leonem est ingressus] ita tamen, vt si hac ratione præparatum non habeas, vtcunq; paratum exhibeas. Præstat lignis vitis exurere. Datur cochlearij mensura diebus quadraginta ex aqua, si ab initio præscribas, sin seriùs ad ægrum voceris, exhibebis pondere duplicato diebus non paucioribus. Si exhiberetur cum aqua, vel succo galegæ diuinum propemodùm remedium experirere. Nam ictibus huiusmodi venenatis ad miraculum prodest galega. Id vt euidentiùs appareat, libet historiam adijcere, quã refert Petrus Forestus in fine libri 2. de incerto vrinarum iudicio his verbis. Lacerta à vipera læsa quandam herbam, quæ in Italia Graliga, vel Gralega dicitur, comedens vires recuperat, quod equidem casu obseruatum constat, vt mihi à quodam Bononiensi medico fide dignò, cum in alma Bononiensi Academia admodũ celebri studij causa agerem, relatum est: quam quidem historiam non minùs vtilem, quàm lepidam hic referam. Senex quidam quondam circa fluminis ripam deambulans fortè fortuna videns lacertam cum vipera dimicantem, humi se se prostrauit, vt pugnam aptiùs, bestijs non aduertentibus, specularetur. Lacerta vt potè viribus infirmior ictu validissimo à vipera sauciatur, adeò vt moribunda pedibus cespitaret: verùm paululum ad se rediens, per gramen longiusculum, vipera non vidente lacerta repsit per ripam fluminis ad herbam quandam in proximo ibi crescentem. Qua quidem deuorata, vires ex tempore primas recuperauit, atq; denuò ad viperam se conuertens, eandem non aliter, quàm anteà, adoritur. Sed

Dosis illius, & tempus.

Historia admirabilis vim alexypharmacam Galegæ confirmans.

vul-

vulneratur rursum à vipera ictu non minùs læthali, vt priùs. Mox lacerta denuò ad hanc herbam clàm digreditur, vt viribus recuperatis, atq; refectis cum hoste capitali rursum congrederetur. Sed frustra: eodem enim modò, vt potè vipera longè inferior, quo anteà, excipitur. Animaduertens autem senex non minùs herbam ipsam, quàm pugnam demirabatur, & vt periculum faceret, vtrum herba tales vires occultas, & sublatentes in se complecteretur, eandem clanculò, dum lacerta iterum cum vipera pugnaret, radicitus euellit. Lacerta denuò saucia ad herbam redit: quam cum in loco consueto non inueniret, statim occubuit, atq; exspirauit. Senex verò huius herbæ vim expertus, medicis ea, quæ viderat narrauit. Galega vocatur, cognita ex viribus admirandis contrà venena, vermes, & pestem. Hæc in medium afferre volui, vt quis intelligeret quanta vi succus galegæ contra venena, & morbos omnes malignos polleret; & succum signanter dixi, quia stillatitius ex ea liquor minores multò vires obtinet, vt propterèa vrgente morbo maligno succo, non aqua sit vtendum. Verùm si hæc, vel horum aliquid haberi commodè non possit, prescribes pul uerem hunc ex eodem, & suis doctissimis præceptoribus experientia, & ratione probatum, qui recipit pulueris tormentil. vnc. semis. gentianæ, dictāni ana drach. duas, pul. smaragdi, iaspidis, siue passiæ, margar. non perforat. corall. rub. & albi ana drach. vnam, boli arm. veri præp. terrę sigil. ana vnc. semis. misce, fiat puluis, cuius drachmam vnā morsus statim capiat cum decocto gentianæ, & dictamni, vel cicerbitæ, vel pimpinellæ, aut echionis. Verùm iam ad externa, quæ magis obuia nobis sunt, & mulierculis ipsis veniendum. Hæc autem hu-

Pulueris aduersus hoc venenū descriptio.

Qualitas remediorum externorũ.
Cucurbitula loco præscarificato.
Suctio.
Pullus discessus per medium applicatus.
Pulli cũnus viuẽtis.

iusmodi conditionis esse debent, vt venenum è corpore possint extrahere, qualia sunt calida, & acria, vt sinapismi. Itaq; ad hoc præstandum reliqui omnes cum Celso cucurbitulam valdè inflammatam laudant scarrificato priùs læso loco affigendam. Alij suctionem ab agresti viro, de quo tamen nos suprà egimus. Alij hædum, vel pullum, vel agnum discissum statim calentem, & vt ita dicam ferè semiuiuum applicant, vt foras cum sanguine venenatus spiritus extrahatur. Alij plumis nudatum cunnum pulli, galli, vel gallinæ loco affecto applicant, sed os claudunt, & nares, vt per anum inspiret, & exspiret, & inspiratu venenum ab affecto loco educat, aliũ, atq; alium subindè commutando si priores moriantur: quod olim commodè cessit D. Georgio Merognio viro doctissimo in quodam agresti viro carbunculo in facie laborante, quem contraxerat in bouem mortuum ex morbo maligno ore insufflando, vt degluberetur, ignorantibus domesticis vnde talis morbus contractus esset. Hinc congruentia, vel vnguenta, vel cataplasmata vulneri applicanda. Communiter parantur à Doctoribus his, quæ sequuntur, rebus. Eæ sunt. Allium, etiam vstum, aqua maris, adarce, anthos, aristolochia, animal, quod momordit abscissis extremitatibus in serpentibus, vt in theriaca Galenus imperat, acris flos, ammoniacum, adeps anseris, alumen, anagallis, absinthiũ, artemisia, argemone, agaricus, anisi semen, asclepiadis radix, & ari, argentum viuum præcipitatum. Brassicæ cinis, betæ succus, brioniæ, baccharæ, & bistortæ radix, beta ipsa, bitumen iudaicum, bdellium, bezzaar. Caprarum stercus aceto coctum, calx viua cum oleo, & melle, cepæ, cedrus, cachrys, chamæleonis, coriandri puluis cum melle, cycla-

A. Simplicia, & quædam composita, ex quibus remedia externa parari possũt ordine alphabeti digesta.
B.
C.

mini,

mini, & coronopi radices, cantharides, caulium succus, cancri contriti, tosti, elixi, castoreum, chamæpytis, cinnamomū, cucumeris, satiui folia, chalcitis, crocus, chamædris, cardamomum, coagulum leporis, vulpis, capreoli, canis, agni, apri, bubali, vituli, hædi, &c. clinopodium, clematis prima Matthioli, camphora, carduus benedictus, cicerbitæ succus, centaurea minor, cortex ficus agrestis. Dictamnū, D.
delphinium, dracunculi radix. Erui farina, enulæ E.
radix, ericæ flores, & coma, erucæ, eryngium. Ficus F.
virgulta cum melle, eiusdem cineres cum aceto, fermentum, fæniculi radix, formicæ tritæ. Garum, G.
gluten piscium, gentiana, galega, gingiber. Hypericum, H.
hellebori nigri, hyacinthi, & hastulæ regiæ radix, hirundinis nidi glebula illita ex aceto, hirundinis pulli combusti. Iris Illirica, imperatoriæ radix. I.
Laser, lixiuium, lauri baccæ, lycium indum, lac ficuum, L.
leucas, liliorum alborum, & syluestrium radix. Mel, mithridatium, melisophyllum, mentha, M.
mentastrum, marrubium, muris aranei caudæ cinis, ita vt ipse, cui abscissa sit, viuus dimittatur Plinio. Membrana, vel senectus anguium vernatione exuta cum cācro masculo trita, myrrha, martagon radix. Nepeta, nitrum, nucum iuglandium caro, N.
nardus celtica, narcissi radix. Opoponax, origanum, O.
oculorum ceruorum mucus in angulis existens. Pisces saliti, plantago cum sale, pix liquida, P.
polenta, porra, piper, potamogeton, polium, platani fructus, paliuri folia, & radix, pulegium, pastinacę agrestis semen. Rumex acutus, ruta, ranæ, raphani R.
radix, rubetæ, vel buffonis puluis. Silphion, sal, stercus S.
suillum aceto coctum, sinapi, stercus columbarum, saluia, smirnium, sapo, scella, sagapenum, scabiosa, spuma maris, scordium, sicomori, gummi,

scorcionera, serpentina, vel colubrina, quam bono Henrico appellant, sparganij radix. T. Theriaca, tormentilla, trifolij bituminosi semen, thus, terebinthina, tapsum barbatum, teucrium. V. Vnicornis cornu, vinum, vrina, vitium cinis, vituli adeps, volubile, viticis semen, valerianæ radix. Z. Zedoaria, & alia complura, quæ apud Doctores reperies. *Topica parabilia.* Sic morsum venenosum instillatione trium, vel quattuor guttarum lactis ficulnei suprà vulnus, vel apposito sinapi cum aceto detrito, curat Mizaldus centuria 2. num. 80. idem num. 3. cent. 3. ex Lemnio hæc addit. *Crapaudina.* buffonis lapis [Crapaudina dictus] suo contactu, & blando attritu inflationes à venenatis bestijs illatas discutit, ac virus omne elicit. *Foresti emplastrum.* Forestus loco citato super vulnus alligat puluerem factum ex partibus æqualibus corticum cancrorum, & tormentillæ. *Amati cataplasma.* Amatus cepam vnam acrem, allij caput medium, theriaces, rubeæ minoris, fermenti ana vnc. semis. foliorum marrubij fætidi, melissæ ana pugil. semis. mixta redigit in emplastri formam, & applicat. *Penoti aliud.* Penotus libro de medicamentis chimicis applicat nitrum liquefactum cum terebinthina addito aceto, & adipe anserino, vel suillo, interim tamen sæpè vulnus lauat aceto colato per calcem viuam, & aceto mixto. Plura topica si quæris, lege Valescum, Gordonium, Bayrum distinct. 18. cap. 5. Galenum lib. 2. de antid. cap. 11. 15. & 17. & libro primo de compos. med. sec. gen. cap. 16. Auicen. loco sæpè citato. Deniq; Galenus, quod vnum instar omnium esse potest, libro de theriaca ad Pison. cap. 16. theriacam applicat oleo rosaceo mollitam, quæ tanquàm cucurbitula venenum è profundo trahat, & exsugat, quæ maximè intus, & extrà adhibita veneni malignitatem frenat, & aquæ formi-

dinem prohibet, vt loco citato idem docet. Vide etiam quæ habet Celsus si lubet libro citato cap. 27. in curatione communi aduersus omnes morsus serpentium, vbi emplastra præscribit, quorum descriptiones tradiderat cap. 19. eiusdem libri, vt apud eundem maioris doctrinæ gratia videre poteris, & Aeginetam loco sæpè citato. His in rebus explebis dies quadraginta, quibus diligenter caucbis, ne vulnus ad cicatricem perducatur concilio Galeni de Ther. ad Pison. cap. 16. citato, & Auicen. quibus elapsis cutem induces [modò præcognoscas nihil veneni in vulnere superesse] aliorum vulnerum more. Nullum enim tunc subesse periculum potest. Nùm quid veneni supersit in vulnere hac ratione cognosces: nuces iuglandes cum tantillo tritico commansas cataplasmatis modo vlceri admouebis ad duos dies, quibus elapsis ablatum cataplasma gallo, gallinæuè edendum porriges, diligenterq; animaduertes num quid noxę contrahat ex eius esu, id enim certissimum erit nundum probè repurgati vlceris indicium: secus si accidat audacter vlcus ad cicatricem perduces. Atque hæc est curatio legitima demorsi à rabido cane.

Quanto tempore his topicis sit insistendū.

Signum venenū ne supersit, in vulnere, an non, vt cicatrice id obduci possit.

Cæterùm quædam sunt, quæ peculiari quadam virtute contra formidinem aquæ pollent, quæ hic adiecisse non erit abs re cum alijs quibusdam circà hydrophobiam.

patitur:addit:multò tamen vtilissimè iecur eius,qui in rabie momorderit datur, si possit fieri, crudum mandendum: sin minùs quoquo modo coctum, aut ius incoctis carnibus. Et licèt huiusmodi iecur non admodùm à Galeno 8. de comp. med.sec. loc. probetur, tamen doctissimus Polonus auditor Mercurialis doctissimo præceptori retulit in sua patria illo has affectiones curari,vt idem refert de veneno canis rabidi cap. 15. Et Palmarius loco cit. cap. 3. tradit rusticos quosdam, qui id iecur post morsum esitarunt se se ab aquæ pauore tutos reddidisse. Coctum autem triduum sumendum esse ex alijs docet. Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Græcis Lytta,quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. Idem ter igni circumlatus datur morsis à rabioso, ne rabidi fiant. Et cerebello gallinaceo occurritur. Sed id deuoratum anno tantum eo prodest. Aiunt & cristam contritam efficaciter imponi, & anseris adipē cum melle. Saliuntur & carnes eorum, qui rabidi fuerunt, ad eadem remedia in cibo dandæ, quin & necantur Catuli statim in aqua, ad sexum eius, qui momorderit,vt iecur, & crudum deuoretur ex ijs. Hæc ille,vbi alia addit in hanc sententiam non contēnenda. Iecur aprinum recens arefactum ex vino potum, idem iecur rabientis canis tostum, & in cibo ab emorsis sumptum ad eandem intentionem commendat Dioscor.libro 2. cap.38. imò dentem, qui caninus dicitur, exemptum, & folliculo inditum pro amuletó brachio adnecti ibidem etiam testatur. Alysson verò inde nomen accepit, quod à cane commorsos rabiem sentire non patitur potus ex aceto, alligatusq; ex Plin.nat. hist.lib.24. cap.11. Celsus loco cit. acetum bibi vtiliter docet. Habes

Iecur canis rabidi.

Id iecur frustra à Galeno improbatur.

Confirmatio ex Palmar.

Lytta assumptus.

Cerebellum galli naceum.

Crista eiusdem.

Adeps anseris.

Caro rabidi salita.

Catuli aqua suffocati iecur ad suum sexum.

Iecur aprinum.

Dens caninus.

Alysson.

Acetum.

basilicam compositionem cum alijs plerisque ad hanc rem apud Gal. lib. 2. de antid. cap. 11. Præterea ab eadem hydrophobia præseruat demorsos asphaltus ex aqua potus, & eos, qui iam inciderunt præseruat Aetio tetr. 1. serm. 2. cap. 49. Idem facit laserpitij succus apud Cardan. meth. med. cap. 90. Signanter duntaxat præseruationis gratia singulis annis appropinquante eo tempore quo demorsus quis est per hyeram eum præpurgari oportet, & instante iam die theriacam antidotum accipere per triduum ex Aet. tetr. 2. serm. 2. cap. 24. & eodem capite nullum idem nouit hydrophobum euasisse, qui demorsus theriacam sumpsisset in tempore. Quidam aiunt Ensalmatores Hyspanos panem à se demorsum tradere rabientium canum dentibus vulneratis, vel ab alio veneno infectis, atq; hac ratione curari; sed hoc vt non improbo, cum fieri posse alibi à nobis sit ostensum, ita nec facilè in praxi probauerim. Adamas intrò sumptus à quibusdam fertur istos quoq; curare. Sed hic etiam aliqua ratione est venenum, itaq; plura de illo essent dicenda, à quibus in præsentia supersedemus. Matthiolus in cap. 73 lib. 2. Dioscor. commendat stillatitium liquorem ex stercore hominis ruffi epotum. Alij pulueris ex floribus cardui syluestris in vmbra siccati semicochlear ex vino albo propinant tribus diebus summo mane. Alij succum è folijs fraxini ex vino albo optimo, si sine febre sit æger; sin secus solum succum propinant, folijsq; vulneratũ in locum contegunt, & miraculi speciem exhibent, & iure cum Mizaldo libro primo de secretis hortorum cap. 11. alij vtuntur remedio ad eodem allato ibidem cap. 12. ex Matthiolo desumpto, qui id accepit ab heremita in agro Romano. Facillimã denique

Asphaltus.
Laserpitij succus.
Præseruatio demorsorũ à rabie valdè notanda.
Panis demorsus ab ensalmatoribus.
Adamas intrò sũptus.
Aqua stillata ex stercore hominis ruffi.
Puluis ex floribus cardui syluestris.
Succus foliorum fraxini.

rationem præcauendi hydrophobiam in fine lib. cit. Palmar. docet his verbis: Henrici II. Galliarum Regis venator graui morbo decũbens, bona fide Ioanni Fernelio præceptori meo amantissimo, asseuerauit pimpinellam ad præcauendam hydrophobiam tantam vim obtinere, vt quicunq; eam aliquot diluculis, vel in acetarijs, vel alio quouis modo apparatam, post morsum comederit, nihil indè incommodi sentire possit: quod in canibus regijs se primum expertum fuisse dicebat, quibus demorsis illam fœlici successu offerebat. Huius autem præstantissimæ antidoti inuentio, atq; exploratio Iacobo Syluano Domino de Pyrou viro antiquitate generis, & nobilitate præstãti, accepta ferenda est: hec ille. Quæ quidẽ demorsis à rabidis canibus prodesse possunt: sed tamen aliquando, siuè quod in tempore non fiant, siuè quod astra sint infesta, siuè quæ adhibentur adulterata, vel quia venenum velocissimum in actione, seu quia multum, seu quia vasa magna vulnerata, seu quia tenuioris substantiæ, contingit, vt rabiem, & timorem aquæ non effugiant, ideò hydrophobiæ ipsi remedium, si quod ars suppeditat, est in medium afferendum.

Pimpinella cuta præcautio.

Cur alia remedia aliquandò abhydrophobia non præseruent.

26. Hydrophobie ipsius curatio. Theriaca.

Hydrophobos curare multi contendunt multipliciter, licèt exigua admodũm salutis spes supersit, vbi ad hunc rerum statum sit æger redactus. Galenus cap. cit. lib. de Ther. ad Pison, videtur totam curationis rationem in theriaca constituere. Et iure merito; nescio enim an hoc remedio maius possit inueniri. Sed tamen nullum affert hydrophobum iam factum ex morsu rabidi canis hoc auxilio curatum. Auicenna loco sæpiùs citato, licèt aquam timeant, modò se velint in speculo intueri, & in eo se cognoscant, optimam inquit esse curationem, si

Multa aqua chalybeata epota.

Refrigerantia ventriculo applicata.

Mixturæ descriptio.

Coagulũ muris.

Sanguis canis rabiosi.

Causa cur canis rabidi sãguis potus rabiẽ curet.

aqua chalybeata affatim, & multa exhibeatur eo ingenio, vel arte, quam in fine capitis describit, vt nimirùm per oblongum canalem ad guttur ægri aqua infusa, vt ab eo non videatur, perueniat. Præterèa infrigidantia ventriculo per modum cataplasmatis applicat, quod mihi tamen est valdè suspectum, vel vinum per medium mixtum, & per os exhibet instar fabæ Aegyptiæ ex hac mixtura, quæ recipit coaguli leporis, luti ex lacuna Alexandriæ exportati, granorum iuniperi, gentianæ ana vnc. semis. baccarum lauri, myrrhæ ana vnc. vnam, cum melle fiat electuarium, quo vtere, vt suprà dixi. Affert alia multa, in quibus ait non esse fiduciam. Subdit ex quibusdam coagulum muris ex aqua potum sanare, item sanguinem canis rabiosi, sed id se non audere. Vide apud eundem alia pleraque. Quod non audere se dixit Auicenna canis rabiosi sanguinem rabientibus exhibere, admiratione non vacat, cum illius potum ad rabiem Serapio cum Galeno, alijsq; Medicinæ principibus valdè commendarit, apud quos omnes constat sanguine rabientis canis rabientem morsu hominem persanati. Causam doctè admodùm reddidit Marsilius Ficinus libro 2. de vita producẽda cap. 11. nimirùm venenum hoc in saliua consistens per meatus corporis venas, neruos, arterias ad cor vsq; deferri, eumq; inficere, ita hominem perimere. Mortem euitari epoto huiusmodi sanguine. Nam arcana quædam intercedit inter canis sanguinem, & saliuam sympathia, ex qua fit, vt sanguis in stomachum potu delatus occulta vi sympathica ad se se saliuæ virus pertrahat, quod ideò aliò illectũ à corde declinat, & ad stomachum partem ignobiliorem digreditur. Indè expellentes naturæ vi cũ sanguine per secessum redditur

mine superstite, cui tantùm venenum in corpore continere læthale fuerat. Similem vim quidam theriacæ tribuunt, ratione cuius venena domet. Aetius verò tetr.2.serm.2.cap.24. hydrophobis dat mergi iecur assatum cũ oleo, & modico sale, quod ita efficax esse refert, vt eger è vestigio aquam petat. Ad idem laudat hippocampum marinum assatum comestum, quòd illius sanguis aquæ inducat amorem, & eius formidini resistat. Catuli non multorum dierum coagulum ex aqua propinat, quòd semel acceptum assiduam bibendi commoueat cupiditatem, vt alios etiam liquores intrepidè bibant. Commendat herbam leucanthemidem, libenter enim potum accipiunt, si exhibeatur in poculo, cuius fundum ex ea sublinatur. Idem etiam de chamæmelo testatur. Sed Plinius inter leucanthemidem, & chamæmelum nullam differentiam constituit, nam lib.nat.hist.22.cap.21.ait: Anthemis magnis laudibus celebratur ab Asclepiade: aliqui leucanthemida vocant, alij leucanthemum, alij eranthæmon, quoniam vere floreat. Alij chachamæmelon, quoniam odorem mali habeat. Nonnulli melanthemon vocant. Subdit eius genera tria floribus duntaxat discriminata candidis, melinis, & purpureis. Ex quo apparet ex Plinio nullum esse discrimen inter chamæmelum, & leucanthemum, nisi fortè ita tueamur Aetium, vt intellexerit pro leucãthemo chamæmelum florem habens album, non alias species, leucos enim albus, & anthemis chamæmelum signat, leucanthemum ergò chamæmelum albo flore denotet. Sed obstat quod docet Plinius asserens omnia eius genera dari contrà serpentium omnium ictus drachmæ vnius pondere; qua vi fortè pollet contrà hydrophobiam, quæ

Mergi iecur assũ.

Hyppocampus marinus assus.

Catuli coagulũ ex aqua.

Leucanthemis.

Quomodo obtineas ab hydrophobo, vt bibat.

Quã specie chamæmeli pro leucanthemo Aetius intelligat.

ex veneno prodit canis rabidi. Denique ait idem Aetius, se nouisse quendam senem, qui vbi quis morsus esset à rabioso cane; sola oxalide curabat. Vlcus decocto perfundebat, & herba integebat, & ipsam bibendam dabat, & hoc pharmacum velut robustum valdè laudabat. Nec iniuria, vt egò quidem mihi persuadeo, nam & eius semen commendarat Dioscorides aduersus ictus scorpionum, & bolum herbæ virentis, vel puluerem siccæ ex vino albo ante cibos peculiariter prodesse scripsit apud Mizaldum horti Medici 7. Guainerius Medicus Papiensis. Ex quo idem ait præsumptum eiusdem bolum efficere, vt scorpij ictus nullum venenum relinquat in corpore, quod ante eosdem Auicenna tradiderat. Vt propterea mirum non sit, si peculiari virtute contrà venenum rabidorum canum præpolleat. Non est autem oxylapathum, inquit Fracastor. lib. 3. de morb. contag. cap. 9. de hoc eodem loquens, quæ acetosa vocatur (oxalis enim ea est) sed illud, quod, & folia, & semen acuta inter lapatha habet. Sed vt hoc ad præseruationem multum valere potest, ita ad curationem fortè non sufficeret, cum tanta sit affectus huius malignitas, vt nulli cedere remedio dicatur. Et licèt tanta sit difficultas inueniendi remedia par huic monstro, Plinius tamen lib. 8. nat. hist. cap. 41. vnicum remedium oraculo quodam nuper repertum tradit, nempè radicem syluestris rosæ, quæ cynorrhodos appellatur. Qua de re etiam verba faciens lib. 25. cap. 2. hæc addit: insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis morsus pauorem aquæ, potusq; omnis afferens odium. [patet illum loqui de hydrophobia, nam morsus simplex rabidi canis nunquam fuit insanabilis. Accipe itaque illius verba, vt Logici dicunt, in sensu

Oxalis.

Radix syluestris rosæ oraculo demonstrata.

composito, non diuiso] nuper cuiusdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, vt radicem syluestris rosæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie in frutecto, mitteret filio bibendam in Lacetania res gerebatur, Hyspaniæ proxima parte: casu accidit, vt milite à morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola orantis, vt pareret religioni: seruatusq; est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentauit. Hæc ille. Quo tempore ægrotabat iuuenis, cuius historiam initio huius libri descripsimus, accessit ad me tabellio quidam Cuneensis vir honestus lue gallica, si quis alius, contaminatissimus, eoq; nomine apud omnes celebris, qui mihi affirmauit accepisse à patre suo, qui ex Medico quodam Sereniss. olim Emanuelis Sabaudiæ Ducis acceperat, veram curationem hydrophoborum consistere in aquæ potu, in qua incoctæ sint paleæ auenæ. Hoc retulit mihi tanquàm secretum non reuelandum, sed omninò tamen in tam miserando euentu aperiendum. Addebat Medicum illud decerpsisse ex quodam manuscripto sui Principis, in quo continerentur remedia selectissima, & vsu ipso à multis confirmata. Idem posteà intellexi à Medico Excellentiss. D. Carolo Bonada, qui illud edoctus fuerat à D. Antonio Fiochetto Medico Serenissimi, & Inuictissimi Caroli Emanuelis præsentis Ducis Sabaudiæ. Dum nos eius vim remedij experiri vellemus, miserandum in modum æger animam efflauit. Venio ad aquæ potum, & balneum, quæ fortasse plusquàm cætera remedia quælibet prodesse posse ex eo coniici potest, quod quidam hoc remedio hydrophobi curati sunt, cum tamen aliis remediis nullum, excepto Pliniano, seruatum adhuc legerimus.

Decoctū paleę auenæ.

Aquę potius balneum.

Historia Philosophi antiqui balneo curati.

Sic Philosophus ille, de quo plurimi ex antiquis: & recentioribus meminerunt, aquas expauescens in balneum se proiecit dicens: Ti coinon cani, cai balineo? idest quid commune cani, & balneo? videbatur enim sibi canes in aquis intueri, quibus cum nihil commune esse iudicaret, concludebat apparere canes in balneo; sed non esse, itaque timorem vincens in balneum ingressus curatus est. Quod enim quidam aiunt, principem facultatem læsam adhuc non fuisse, minus arridet, id enim si esset, non sibi visus esset in aqua canes videre. Nec tamen dico ita læsam fuisse, vt penitus deprauata esset, nam arguebat canes non esse balneo, licèt ita sibi videretur. Valescus etiam tradit in Bearnio demorsos statim ad Mare Oceanum se conferre, sibi marinam aquam bibere, in ea se immergere, vulnus lauare, omnesq; hydrophobiam euitare. Addit ibi propè locũ Morlanæ in oppido Vsau fontem esse, ex cuius aqua qui biberit ieiuno stomacho ante ortum Solis diebus nouem demorsus à cane rabido, metum aquæ non incursurum. Nostri verò, inquit Forestus lib. 10. obseruat. schol. 28. demorsos à cane rabido ad Oceanum mittunt, vt ibi ter aqua marina immergantur, idq; in principio vulneris inflicti, antequam in hydrophobiam incidant. Neq; hoc nouum est remedium: nam & Celsus lib. 5. suæ Medicinę non opinantem in piscinam non ante ei prouisam proijciebat, & si natandi scientiam haberet, vt vltro biberet aquam immersus. Si nataret, eundem deprimebat, vt inuitus quoq; aqua satiaretur. Sic enim simul, & sitis, & aquæ metus tollitur. Hinc Baccius suum textorē hydrophobum in Tyberim ter, & quater immergi iussit, qui tamen sanari non potuit, sed postridie mortuus est horrendum

Marinæ aquæ potus, & balneum Fōtis cū iusdā vis cōtra rabiem.

Immersio in mare.

In communem aquam.

mor-

mortis spectaculum exhibens. Aurelianus immersionem hanc damnat, quippè quæ conuulsionem inferre possit. Celsus tamen, vt benè Mercurialis cap. 16. libri citati, cum eam prævideret, iussit, vt vbi æger ex aqua egressus est, oleo tepido toto corpore foueatur ad imminentem conuulsionem arcẽdam: vbi etiam refert ex C. Aureliano 3. de morb. acut. cap. 16. Themisonem Medicum sæpiùs aggressum scribere affectus huius curationem, semper aquæ metu tentari solitum fuisse, quæ causa fuit, cur eam non descripserit, quod quidem admiratione non caret. Deniq; Palmarius nouum affert remedium tutissimum, & quod omninò hydrophobiam futuram prohibeat euentu infallibili, imò iam factam, sed non vltra tres paroxismos productam omninò curet cap. vltimo sui libri de morsu canis rabidi, quod ipsissimis auctoris verbis hoc loco placet describere. Iam, inquit, præsentaneum alexipharmacum nostrum tradendum, quod solum neglectis catharticis medicamentis, omissa etiam, quam modò diximus vulneris cura quocunque à morsu tempore vsurpetur, certissimum, ac tutissimũ existit, vt quo nullum vnquam animal vsum viderim, quod non tam atrocis morbi periculum euitarit quacunque vteretur victus ratione, illæsis tamen capitis partibus, quæ dentes superant: his enim vulneratis exigua salutis spes est, vt & vulnerata parte, statim à morsu frigida elota. Rec. fol. rutæ, verbenæ, saluiæ minoris, plantaginis, fol. polipodij, absynthij vulgaris, menthæ, artemisiæ, meliophylli, betonicæ, hyperici, centaurij minoris singulorum æquale pondus. Legantur singula, quo tempore viribus pollent maximis, quod ad Iunij ferè plenilunium in hoc Galliæ tractu assequuntur. Papyraceis dein-

Dãnatur hæc immersio ab aliquibus.

Cautio ne noceat.

Nota obiter admirabilẽ historiã.

Excellentia describendi remedij.

Quãdo hæc afferẽdũ remedium sit [illegible]

Remediũ describitur.

chartis cōclusa sicceuntur seorsim in loco ad quem neq; sol, neq; pluuia pertingat, ne vel nimium exarescant, vel situm contrahant. Siccata ad futuros vsus asseruentur, ea lege, vt quotannis renouentur, Quum autem vtendi necessitas inciderit singulorum æquale pondus in puluerem tenuissimum redigito; cuius drach. semiss. demorsis quotidie præbeto, idq; vel ex cochleari cum duplo sacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex iusculo, vel ex butiro, vel ex melle opiatæ forma, ieiuno stomacho, & tribus horis ante cibum. Quamquam autem sesquidrachma, aut drachmæ duæ satis sint, tum homini, tum omni animali quantumuis crudeliter sauciato, nihil tamen obfuerit ad tres, quatuorue processisse, quum præsertim, vel longo post morsum tempore, vel nata etiam hydrophobia, curationem aggredimur. Qui hydrophobia iam correptus est, arctè vinciendus, vt quem dixi puluerem vino, aliouè liquore solutum (nihil enim ad curationem refert) deglutire cogatur, ore etiam, si opus sit, vi adaperto. Satius autem fuerit in furoris intermissione quū mens integra est, remedium propinare.

Dosis illius.
Sumendi modus.
Sumendi tempus.
Dosis auctior quādo conueniat.
Hydrophobo iā facto quomodo exhibendum.

Iam verò quum primum contractum vulnus est, ne in sordidum vlcus degeneret, spongia, aut siccis linteis exsiccatum, vino, aut hydromellite, in quo suprapositi pulueris drachma media soluta sit, bis terue quotidie foueto: deinde vnguentum, aut emplastrum inducito, quale alijs vulneribus ex vsu est, & ita sanescere sinito, nullo hydrophobiæ metu. Hæc dum fiunt, nec consuetam victus rationem immutare, nec domi se continere, nec purgans medicamentum vsurpare necesse est, nisi fortè ante cœptam curationem nata erat hydrophobia: ea quippè sublata, qui iam virium fecerant corporis hu-

Vulneris canis rabidi curatio per puluerē descriptum, hydrophobiam omninò prohibens.

mores; partim expurgari, partim idonea victus ratione immutari debent. Hæc illæ, quæ ad verbum, licèt paulò fusiùs, omninò referenda duxi, quòd in tam desperato morbo nulla diligentia tum in studio, tum in praxi superflua esse possit. Prædictis omnibus, si cum Theriaca Mithridatum coniungas, aliásq; huiusmodi nobiles antidotos, equidem credo te comprehensurum quæ contra hoc venenum faciunt, vel ad imminens impediendum; vel ad iam genitum curãdum, si te bonus quidam Genius comitetur. Deniq; notandum est, ea remedia, quæ cõmuniter ab auctoribus ad hydrophobiã describuntur, non ita accipienda esse, vt factam curare possint, sed tantùm, vt impendentem prohibere fortasse valeant, vt colliges ex Galeno comment. aphorismi 22. sect. 2.

Theriaca, &c.

17. Restat, vt diætam breuiter instituamus. In qua cauẽda primùm est satietas, nè superflua plùs æquo congerantur, & nimia materiæ copia maligno veneno suppetat: fugienda quoq; est inedia iusto austerior, ne humores acuantur, magis incalescant, promptiùsq; virus concipiant. Quæsitum quid horum sit peius; satietasnè an indigentia. Sed iamdudum quæstionem dissoluit Aetius indigentiam cibi periculosiorem statuens satietate. Nam indigentiæ, ait, humorum malignitates augent, quod nequaquam commodum est vlceri maligno. Hæc quoad quantitatem alimenti: quoad qualitatem, victus talis esse debet, vt veneni vim, vel obtundere possit, vel extinguere, & ne in partes internas feratur prohibere, quod præsertim facit potus vini meri veteris, vel lactis, alliorum, cæparum, & porri esus ex Paulo libro 5. cap. 3. potes præcipere vsum carnium, hæ verò possunt esse hepar caniis tostum, vel

Diæta.
Satietas noxia.
Inedia noxia.
Vtra nocentior.
Qualitas alimẽtorum.
Vinum merũ vetus.

dixus ex aceto, vel acetario ex acetosa parato: aues montanæ, animalium partes extremæ, quamquam alij diebus quadraginta carnium vsum cum Oribasio prohibent, quod cum alijs non probo. Pisces etiam admitti possunt, herinacei, vel echini ex garo, cancri item, gammari; ex oleribus eliges crithmum, fœniculum, cichorium, acetosam, cæpas, allia, porra, rutam, mentham, portulacam, plantaginem, boraginem, buglossum, calendulam, pimpinellam, quæ modis omnibus, & semper exhibebis ratione alimenti, & multò magis medicamenti alexypharmaci. Et parum curanda febris, quia periculum impendet ex veneno, non febre. In epidipnidas concede ficus, nuces, auellanas, citrium conditum, & similia. Citri succo poteris acuere cibos, eisq; gratiam conciliare. Et pari ratione salsamenta, vel sinapismos parare poteris ex aceto, acetosa, iure citrij, vel limoniorum, carne auellanarum, paneque macerato in iure carnium insperso cinnamomo. Sic cibos inspergere poteris puluere cancrorum suprà descripto, & puluere ex ossibus mespilorum contritis. Qui liquidi erunt offerentur ita, vt à sumente non videantur. Et quantum fieri poterit cibis sorbilibus assuefient ægri, vt ad aquæ potum disponantur quacunque ratione. Ad eandem intentionem ante pastum de aquis, lotionibusq; cum ægris sermones miscendi erunt, cibusq; offeretur clausis fenestris, ne potulenta reijciant ex Mercuriali cap. 16. libri citati. Potus erit vinum potens, albū, tenue, omninò ad dulcedinem vergens, quod, si lubet, poteris aqua chalybeata diluere. Lac pariter exhibebis pro potu, vt ex eo plurimum bibat, & sæpè, febrem, si adsit omninò negligens. Nam & Dioscorides cap. 39. lib. 6. vsum maximè commendat vini meracio-

Nota circa carnes.
Pisces.
Olera.
Fructus in epidipnidas.
Acuētia famem.
Condimēta alexypharmaca.
Cibi sorbiles laudātur, & cur.
Vinum.
Lac.

fis, passis, & lactis potum, his enim veneno obijcitur, & omnis eius acrimonia obtunditur, & ad inertia motus prohibetur, vt suprà ex Paulo. Quotidie curabis, vt alui excrementa reddantur sponte, vel arte, & vrinis etiam sæpiùs vesica vacuetur. Ad hæc Venerem omninò ablegabis, & animi pathemata, præsertim tristitiam. Iam verò tempestiuum videtur, vt ad quarundam quæstionum solutionem veniamus, quibus tractationem istam concludamus. Alui lenitio quotidiana. Venus ablegan da.

NVM VVLNVS INTEMPESTIVE clausum sæuiente hydrophobia sit aperiendum: num excitandus vomitus: quomodo immersio in aquam curet rabiem, & si id sit, cur aquam affecti paueant. 28.

CAPVT XI.

PRIMA quæstio. Vtrum vulnus curatum intempestiuè, & ad cicatricem perductum, post aliquot à morsu, & curatione menses iterum sit aperiendum vel sæuiente iam hydrophobia dubitari potest. Quidam asserunt omninò esse aperiendum, inter quos est Petrus Forestus, qui lib. 10. obser. 17. Monacho ex familia D. Augustini hydrophobia laboranti obductam cicatricem mox iussit aperiri, cum tamen à morsu duo iam essent menses elapsi. Nititur hic auctor in auctoritate Gilberti Anglici, qui libro 7. capite de morsu canis rabidi ait si vulnus clausum fuerit, statim aperiendum, vt putredo, & sanies effluat. Forte etiam in hunc sensum accepit auctoritatem Auicennæ, qui 6. 4. tract. Opinio affirmantium vulnus intépestiuè curatum iterũ aperiendum esse. Auctoritas Gilberti Anglici. Auicennæ.

 4. cap.

4. cap. 9. sic ait: & si traxeris in principio, deinde non consolidaueris, facies operationem iuuatiuam valdè. Et si error iam ceciderit, & consolidatum est, tunc ostendit, vt conuertatur, & ad vltimum perueniatur in eo. Et ostendit, vt ponas super ipsum de aperitiuis cum sequutus fueris ipsum in primis diebus. Hos sequutus est Baccius, qui textori suo hydrophobo, non tamen satis confisus, post mensem à morsu vulnus reserari iussit. Hanc sententiam rationes quædam videntur confirmare. Primò, quia vel est hydrophobus æger, vel non: si talis iam est, ergò aperto vulnere per illud tanquàm emissarium venenum poterit euacuari, & à corde reuelli: si nundum aquæ formidinem incurrit, ergò curato fomite priùs latente, illius impendentis periculum euitabitur, ergò siue aquam metuat, siue non, omninò locus demorsus iterum erit aliqua ratione aperiendus. Secundò auctoritas tantorum virorum, & in praxi exercitatissimorum id conuincit, ergò omninò id erit præstandum. Tertiò, quia quod præseruat, id aliquo modo curat, sed si apertum vulnus teneatur diù, ab hydrophobia præseruat, ergò & eandem iam factam curabit. Sed alia est apertè sententia Principis, qui loco citato quid sentiat apertis, vt dicitur, tibijs explicat. Vult enim vulnus apertum conseruari, quo virus vacuetur per illud: quod si claudatur ante primos tres dies, aperiendum esse; quo modo supracitata illius auctoritas est intelligenda: si autem in septimo die iam clausum fuerit, antidotorum dosim vult multiplicari, & vulnus aperiri paulò acerbiùs, vt adhuc venenum aliquo modo per locum primò affectum effluat: sed post septimum diem vanam esse, imò exitiosam vulneris reserationem apertè docet. Vt

Baccij. (margin)

Prima ratio. (margin)

Secunda ratio. (margin)

Tertia ratio. (margin)

Ostenditur Auicenna esse cõtrariæ opinionis. (margin)

ex his illius verbis licèt euidenter colligere: si autem consequeris eum post duos dies, aut tres, ostendit: tunc; vt sit quod in potu das de medicamine duorum cinerum duplum eius, quod in potu dares si eum consequutus fuisses in principio, & similiter est dispositio medicinarum aliarum, quas dicemus; & si fuerit post septem dies, tunc sint plura duplicia & tunc scalpella scalpellationem laboriosam, & suge suctione vehementi. Et si consequutus fueris eum post dies plures illis ei supernenientes, tunc in dilatatione vulneris non erit vtilitas, & neq; superflue laboretur in ea, quoniam lędetur æger sine plurima vtilitate, imò stude in hoc, vt non remaneat apertum, nam dilatatio iam preterijt in diebus tribus primis, & qui appropinquant eis, quoniam venenum iam sparsum est. Ex quibus Principis verbis patet, huius illum esse sententiæ, vt post septem à morsu dies, inutilis omninò sit, imò noxia vulneris reseratio. Sed clariùs eandem sententiam docuerat Dioscorides cap. 39. libri sæpè citati his verbis: Verùm enimuerò si ea, quæ retullimus auxilia, primis diebus prætermissa fuerint, nec scalpro carnem circinare, nec vstionem experiri operæ pretium est. Non enim quod pertransijt satis euocare possent. Nulla vtiq; istius rei occasio, aut vtilitas; sed in cassum corpora doloribus sternentur. Hæc ille. Rationes, quæ hanc sententiam confirmant, hæ sunt. Primò, quia hoc tempore iam venenum subijt partes internas, ergò si ad superficiem reuellas, nimia fiet commotio, & motus humorum, ex quo grauius periculum impenderet. Secundò, venenum hoc, vbi hydrophobiam inuexit, potentissimum est in agendo, vt propterea secundo die, vt plurimum interficiat, semper intrà quartum,

Verba Auicēnæ id clarissimè confirmātia.

Dioscorides est eiusdem sententiæ.

Rationes huius sententiæ cōfirmatione. Prima. Secūda.

Tertia.

ergò inducias non dat, vt per corporis superficiem, idest per locum priùs vulneratum venenū educi pos. enim sensim educitur, ita vt priùs animal moriatur, sit hinc quàm minima veneni pars sit vacuata. Tertiò ex Hippoc. decreto, quò natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit aphor. 21. sect. primæ; sed hæc maligna materia, quæ iam permeauit internas partes, per easdem tentat exitum inuenire, ergò per partes internas vacuanda, non externas. Probatur minor, nam vomitu hydrophobi tentantur vehementissimo, sæpè etiam alui profluuio, sæpè sperma per vasa conuenientia reijciunt veneni labe inquinatum, rarò visuntur in ijs vniuersales sudores, ergò in internis partibus consistens venenum per internas partes euacuationem molitur, ergò illac ab artifice duci debet extrà corpus. Ad auctoritates in contrariæ opinionis confirmationem allatas sic respondeo: primò quidem Bacciunt cum Foresto frustrà vulneris iam cicatrice occlusi reserationem tentasse, & Gilbertum Anglicum permetsè intellexisse, qui dum vulnus clausum aperiri iubet, cum Auicenna sentit, & primis diebus id factitandum esse intelligit, non elapso septimo die, quibus si vulnus spontè claudatur, vel arte, rursus aperiendum est, nec Gilberto inhærendum, si aliter sentiret. Et quoniam diebus quadraginta apertum conseruandum est, si post septimum diem suaptè spontè cicatricem faciat, arte reserandum est per cinerem vitis, aut ficulneum, folia marrubij, aut anagallidem, ex Aetio vlcus postmodùm perfundendo chamæmeli, & rumicis acuti decocto, vel per opoponacum, nucem, allia, picem, acetum, cæpas, erucam, siclam, enulam, aliquando per corrosiua postmodùm butirum applicando. Vide ibi composi-

Responsio ad auctoritates prò cōtraria sententia allatas.

Quibus nam rese rāda vulneris intè pestiuè cicatrix.

tio-

tionem ad hoc perutilem: si autem artificis negligentia, vel imperitia initio clausum fuerit, & tale iam diebus multis permāserit, frustra reserationem tentaueris. Rationibus facilè est respondere. Prima quidem non concludit, quia si iam factus est æger hydrophobus reserato vulnere virus non poterit vacuari, quia citiùs quia æger morietur, quàm vel minima pars venenatæ materiæ per illud fuerit vacuata: & licèt nondum aquam metuat; modò tantum temporis, vt suprà dictum est, sit elapsum, certò possumus affirmare venenum ad partes internas iam delatum esse, & in superficiei proximis non solum consistere; quare hæc ratio curationis nulla erit. Ad secundam rationem dicimus in Medicina auctoritatem illam, quæ rationi contraria sit, licèt Aesculapij esset, nullam vim penitus obtinere, neq; enim hic de tricis, apinisq; tractatur, sed de rebus ad salutem hominum spectantibus, in quibus ratio sola spectanda, auctoritas quæque contrà rationem nihili facienda. Ad tertiam dico reserationem præseruare posse ab hydrophobia vbi virus adhuc est in corporis superficiè, non tamen vbi iam penitiores partes occupauit; itaq; eam iam factam talis reseratio curare non potest, quia virus non in superficiè sola, cui reseratio illa mederi potest, sed in internis partibus consistit, quod validiora remedia requirit, & per conuenientiorem regionem expurgari: quapropter reseratio hæc non potest hydrophobiam curare, quia vbi virus interna penetrauit non potest ab illa præseruare, sed tantùm vbi superficiarijs in partibus consistit, at tunc temporis opportunè admodùm hæc vulneris reseratio fiet, vt suprà diximus. Maneat itaq; clausa huiusmodi vulnera post septimum diem ab inflicto per

Solutio rationis primæ in cōtraria sententia allatæ.

Solutio secundæ rationis.

Solutio tertiæ rationis.

Conclusio.

morsum vulnere, non esse aperienda, citrà maiorem ægri molestiam; imò detrimentum ex reuulsione veneni per conuenientiorem, eamque contrariam regionem expurgandi, nullo indè expectato beneficio, vel spe salutis, vt contigit etiam nostro infirmo, cui pater chirurgus suaptè spontè vulnus infixit in loco demorso inscijs nobis, & nihil tale tentare cogitãtibus, nulla indè vtilitate subsequuta. Iam sit

29. Vomitus quando nã in assumptione venenorum cõueniat, quãdo verò pharmacum.

Vomitus primis diebus nullo modò est prouocãdus.

Veneno interna. Peruadẽte quãdo vomitu, quando purgante pharmaco vtẽdum.

Vomitus quando potissimum cõueniat.

Secunda quæstio. Vtrum vomitus debeat excitari in morsu canis rabidi. Pro solutione sciendum in venenis per os assumptis tunc competere vomitum, cum venenum in ventriculo adhuc hæret, ex quo commodè satis vomitu reijci potest: si verò venas iam subijt, non vomitu, sed purgante pharmaco per secessum esse ducendum. Ex hoc autem elicimus solutionem quæstionis propositæ, cui sic respondemus. Primis tribus, vel quatuor diebus vomitus infestus est, & nullo modo procurãdus. Probatur, quia nec materiam antecedentem, quæ est in venis, nec coniunctam, quæ adhuc est in habitu corporis, potest vacuare, ergò frustra tentaretur. Si autem venenum iam in venas penetrauit, vel ad mesaraicas iam peruenit, vel non: si primum vomitus nõ oberit, & purgatio appositissima erit, quæ & venenum à corde diuertet, reuellet, & vacuabit per partes ignobiliores: si verò secundum, tunc diuretica erunt conuenientissima; nam per vrinas quæ parata sunt in vniuersas venas ferri expurgabunt. Quòd si ad mesaraicas venas iam peruenit, & ex ijs exsudat, vt apertè in hydrophobis cõspicitur, vomitum ciere tunc dogmaticè procedẽdo debemus, & deorsum etiam per secessum purgare, & quò natura vergit infectum veneno humorem ducere.

Tertia quæstio. Cur immersio in aquam caninam rabiem soluit? an quia morbus calidus est, & siccus, aqua verò frigida, & humida: curatio enim fit à contrario. Sed venenosus hic est morbus, vt propterea qualitatem occultam curantem requirat. An quia aquas, vel formidant, vel formidare sunt parati, aqua verò ipsa similem morbum curare potest non secus, ac scorpius sui ictus est medela præsentanea? An quia rabies spiritum primò inficit animalem, inde reliquos, quibus contaminatis mors sequitur, potus verò aquæ nullum damnum infert, ideò facultas princeps decipi se aduertit, quare desinit aquam tanquàm venenum expauescere, quod priùs delusa iudicabat, sicq; sana fit: hac enim ratione cognoscimus ab illustribus quibusdã Medicis multos ægros curatos fuisse illorum imaginatione mutata. Sic qui se ranis plenum putabat, ab exhibito medicamento purgante ranis in catinum viuis coniectis, quas æger se putauit per secessum excreuisse, curatus est: sic imposito capiti plumbeo, eoq; ponderosissimo galero, qui se sine capite esse falsò iudicabat, pristinæ sanitati est restitutus. Cur non & hydrophobi deposita formidine à quę sanari poterunt? Sed quid si virus iam spiritum naturalem, vel vitalem occupauit? fortè nullas tunc vires aqua contrà illud obtinebit, licèt curationem præstare possit, si animalem spiritum duntaxàt infecerit, idest ad prauum tantum iudicium disposuerit, quemadmodùm contigit Philosopho, de quo suprà, qui se in balneum coniecit. Sed quid de malignitate annexa? quæ alexipharmaca requirit? quæ vis, quæ facultas huiusmodi aquæ indita? quãquam nonnullis aqua alexipharmacam vim obtinere febre maligna laborantibus est proditum. Pugnan-

30. Balneũ cur rabiẽ soluat. Prima ratio. Dubitatio cõtra illam. Secunda ratio. Tertia ratio.

Mutata imaginatione, seu falsa cogitatione, multi ægri curati.

Dubitatio cõtra tertiã rationem.

Alia dubitatio.

tes istæ ex aduerso rationes efficiunt, vt nihil posse aquam quidam putent contrà venenum iam genitum, & in spiritu iam infixum, ac firmatum: alij verò vim quidem hanc illi concedant, rationem autem in naturæ penetralibus abditam, nulliq; mortalium cognitam adhuc asseuerent. Sed ex hac suboritur.

31. Cur hydrophobi aquas timeant. Caussa prima ex Arist: doctrina desumpta.

Quarta quæstio. Cur si aqua aliquam, vel magnā, vel leuiorem vim habet contra hoc venenum, eo tamen correpti timent illam ex quo affectus hydrophobia nominatus est? Aristoteles lib. 2. Rhet. ad Theodecten cap. 5. timorem definit esse perturbationem, seu dolorem quendam ex imaginatione futuri mali corruptiui, aut dolorem inferentis, addens ea nos timere, quæ non longè absunt, sed propè videntur, vt iam impendeant. Paulò post addit terribiliora esse, quæ timorem inferre possunt, si cū errauerint non possint corrigi, verùm aut omninò impossibilis sit correctio, aut non in se ipsis: item ea, in quibus auxilia, aut non sunt, aut non facilè sunt: in summa timorem esse cum exspectatione corruptiuæ passionis. Ex qua doctrina Philosophi [supposito hydrophobos sibi videri canum imagines in aquis, & liquidis intueri, quod mox probabo] commodè posset inferri ad visum aquæ perturbari mentem hydrophoborum, quia natura docente, ex ea graue aliquod malum corruptiuum sibi timent, idq; propè adesse iam putant, nullum remedium superesse, vt testabatur infirmus noster ipso statim primo insultu cum ad se nos aduocasset, necdum affectus naturam depræhendissemus. Cum itaq; ex aqua passionem vehementissimam corruptiuam expectent, eamq; de proximo impendentem, non est mirùm, si ab eius non tantùm gustu,

ſed etiam aſpectu quàm maximè timeant. In quo miracula naturæ eſt contemplari, cum & timeant aquam, ex qua maximum malum pertimeſcunt, eamq; ardentiſſimè exoptent, & acriter expoſtulent, quòd quodam naturæ impulſu eam ſibi profuturam quaſi diuinent. Quod canes ſibi in lymphis videre videãtur, confirmatur auctoritate complurium Doctorum id aſſerentium cum Aetio, & Paulo Aegin. lib. 5. cap. 3. licèt falſum id eſſe Fracaſt. docuerit lib. 2. de morbis contag. cap. 10. quando quidem, ait, nonnulli eorum, qui iam aquam expe-runt formidare interrogati, numquid tale appareret, vt viderent, nihil tale videre reſponderunt. Sed cum tanti viri venia, illius reſponſio non ſatisfacit, etenim qui aquas timent, iudicium, & ratiocinationem habent corruptam; itaq; reſponſis alicuius illorum non eſt fidendum, ſed cõtinuatis multorum ſæculorum, & auctorum obſeruationibus diuturnis ſtandum eſt. Adde quod tanta eſt illis cum canibus antipathia, vt non rem tantùm ipſam, ſed & nomen expaueſcant, quare mirum non eſſet, ſi quis videns illos in aquis, reſponderet quid tale non videre. Deinde Philoſophus ille hydrophobia tentari incipiens, de quo iam ſæpiùs mentionem feci, ad quid dicebat: quid commune cani, & balneo? nonnè canes ſibi videbatur in balneo intueri? at hi non aderant. Nonnè eadem de cauſa nondum integrè mente deprauata in balneum ſe coniecit, & hac ratione priſtinæ incolumitati eſt reſtitutus? quæ obſeruationes veræ omninò cenſendæ ſunt, & cum recta ratione plurimum conſentiunt. Nam mens demorſorum à canibus rabidis non tantùm in canum conſideratione verſatur, ſed etiam demorſum ipſum putat eſſe canem, ex quo fit, vt more canum

Hydrophobi putãt canes in aquis reperiri.

Contrarius eſt Fracaſt.

Reſponſio ad Fracaſtoriũ.

Cõfirmatur hæc opinio.

Alia confirmatio.

Historia Nicolai.

latrent, & mordeant. Sic narrat Nicolaus quendā se cognouisse, qui demorsus à cane rabido post trigesimum sextum diem contra vxorem latrabat, & licèt obiurgatus sæpiùs tamen idem fecit, donec omninò corrupta ratione die quadragesima à morsu obijt. Quid ergò mirum si se putent in aquis canes intueri? si ideò ab aquis abhorreant? vidit Rhasis in Xenodochio demorsum à rabido cane, qui non tantum non abhorrebat ab aqua, sed illam maximè appetens petebat. Oblatam aquam omninò respuebat. Et interrogatus cur aquam respueret, quam tantopere expeteret, sordes in ea esse dicebat, nempè canum intestina, quare iratus aquam puram, & sine sordibus postulabat, quam tamen inuenire non poterat, quia vitium erat non in aqua, sed in mente. Quid quod in eorum vrinis nebulæ sæpè videntur in canum formam figuratæ? hæc autem non maiorem possunt admirationem exhibere, quam quod grauida mulier sui corporis contactu, partem, quam tangit, imagine rei concupitæ figuret in puero. Prætereà rabies per salinam contrahitur, non itaq; mirum, si aqua, & liquida omnia saliuæ conformia pertimescant. Alij referunt causam, quia potentiæ, viresq; animæ deprauantur, & præsertim principis facultatis, quare quod maximè illis profuturum est abhorrent irremediabili insania. Sed rei huius alia reddatur causa. An quia, vt homo cum alio homine sympathiam, cum alio antiphatiam obtinet natura magistra, ita & morbi amorem alicuius rei inuehunt, & odium alterius, vel eiusdem? sic enim in biliosis febribus acetosa concupiscunt maximè, dulcia refugiunt: sic nobilissima monialis Cuncensis appetens lateritium pulueren, eiusdem multum clanculum comedebat;

Alia historia Rhasis.

Nebulæ vrinarū sub formā canū.

Alia causa principalis quæ fiet.

Alia ratio.

Alia Eustochia.

Historia

sic

sic grauidę mulieres aliquando terram, vel cineres, vel farinam, vel lotium appetunt: quædam humerum pistoris deperibat, vt quiescere non potuerit, donec pacto pretio ex eo bolos duos decerpserit, tertium adhuc appetēs, ex quo sequutus tertij conceptus abortus, & mors, cum illum obtinere non potuisset: eadem ratione, quod in illis fit non semper, in hydrophobis semper contingit arcanis modis, vt aquam expauescant. Antipathiam verò naturalem esse inter hunc affectum, & aquam cuiuis patebit consideranti hydrophobiam non tantùm præsentem efferari, sed etiam accelerari imminentem, & vulnus à cane rabido inflictum frigida statim ablutum adeò reddi malignum, vt nullam propemodum posteà curationem admittat. An quia, vt Ruffus apud Paulum loco citato, rabies melancholiæ genus videtur, veneno atræ bilis humorem imitante, in illa verò hic vnum timet, ille aliud, in hoc autem melancholiæ genere, quod ab hoc symptomate hydrophobiam nominarūt, semper aquā ægri pertimescunt insita inter ægritudinem, & aquā antipathia: contraria verò ea inter se esse nemo negabit, contrarijs enim curatio commodissimè exercetur. Deniq; afferri ad hoc solet alia ratio, nempè horum temperiem, & radicale humidum in siccum penitus esse mutatum, ita vt ab hoc ad pristinum regressus dari non possit. Siccitas ergò inducta per morbum, remedio non potest emendari; sic quia morbo contraria est, aquam quærunt; quia conferre non potest, & lædentia in ea sibi ipsis apparent, illam reformidant. Ita enim priuatæ sunt partes humido radicali, vt illud restitui vix possit, itaq; humidum liquidum tanquam inimicum refugiunt. Sed neq; hæc ratio satisfacit: si enim id ve-

Historia notanda.

Probatur antipathia inter hydrophobos, & aquam.

Ratio Ruffi similis.

Alia ratio.

Dubitatio cõtra illam.

tum esset, necesse esset eos etiam, qui marasmum patiuntur ab aquis abhorrere, easdemque timere: Nam eorum siccitas ita facta est, vt humidum nequeat restitui, remediaq; omnia in cassum tententur non secus, ac in hydrophobia; si ergò hydrophobi ideò aquas reformidant, cur & marasmo detentis idem non contingit? Mercurialis cap. 11. libri citati putat id fieri ex eo, quòd maximè sitiant, ex quo fit, vt aquæ pōtum maximè appetant, quare initio bibunt [vt ægroto nostro euenit, qui noctu prima die inuasionis morbi maximè sitiens, nec aquam inueniens ad cellam vinariam concessit, vbi vinum hausit, quod tamen bibere ad satietatē non potuit,] sed quia incredibile detrimentum ex illius potu percipiunt, hinc est, quòd ab illa quam maximè abhorrent. Causa verò, cur ab aquæ potu ita lędantur, licèt se putet Cassius problemate 73 [illegible] attulisse, tamen [illegible] satiùs est [illegible] in [illegible] naturalem antipathiam referre; [illegible] enim huius ratio sufficiens [illegible] reddi nequit. Hæc [illegible] probabiliter in [illegible] rè difficil- [illegible] lima [illegible]

Ratio alia Mercurialis,

[illegible]

VMBRA SORBI, ET ALIARVM quarumdam arborum rabiem cur excitet: de profusione seminis in hydrophobis: cur sui aspectum in speculis non ferant: cur rabies Februario præsertim efferetur, nec febris, nisi propè mortem demorsos occupet: quomodo item Aristoteles docuerit animalia omnia demorsa à cane rabido, & rabire, & interire præter hominem, deniq; cum canes sint quibusdam melancholici, cur audaces.

CAPVT X.

QVINTA quæstio. Sed fortasse iucundum erit inquirere cur degentibus sub vmbra sorbi, vel aliarum huiusmodi arborum, vt suprà, sopita rabies excitatur? Ita enim fieri certum est, & cui apud Guainerium sopita fuerat rabies annis decem, & octo, sorbi vmbram transcundo attingenti rabies est exorta vt propterea immeritò Fracastorius loco citato in dubium reuocarit hunc euentum, quem experientia sæpiùs confirmauit, vt apud viros doctissimos, & fide dignos est videre. An quia halitum quendam fundunt hæ arbores, qui Solis radijs dissipatur, in vmbra tamen vires suas exercet in disposita corpora? huius autem ille naturæ cognitus est, vt latentem rabiem excitare possit, & in actum secundum, vt cum Philosophis loquar, reducere, natiuo calore ipse actuatus. Nam & tetros halitus, caliginososq; vapores in cerebro timorem in melancholicis ciere multi cum Galeno docuerunt. 32. Vmbra sorbi, & c. rabiem excitat. Ratio problematis.

Sexta quæstio. Cur hydrophobi vel inuiti, & nihil tale cogitantes absq; titillatione semen effun- 33.

Causa cur nulla titillatione fruantur hydrophobi. Cur, vel inuiti polluantur.

dunt? Sensus instrumenta seminali spiritui seruientia vitiata, titillationis defectus sunt in causa, neq; enim malè affectis spiritibus animalibus, vel neruis, tentigo potest excitari, cum ij spiritus necessaria sint instrumenta ad hoc, vt organa tactus operentur. Vires naturales deprauatæ semen, quod retinendum esset, continere non valent, sed sinunt effluere. Læsum cerebrum sæpè id symptomatis exhibuit: ex quo videas ebrios facillimè in somnis pollui, & vigilantes semen non retinere, idq; sine tentigine spirituum viuidorum defectu. Primùm autem in hydrophobis spiritus animalis inficitur, nil ergò mirum, si, vt Auicenna notauit, semen profundant nihil tale cogitantes. Et sicut læso cerebro semen sponte effluit, sic si plùs iusto spontè illud effundatur, cerebrum ipsum mala incurrit acerbissima, quę apud auctores passim reperies.

34. Septima quæstio. Cur in speculo hydrophobi nolunt se contemplari? Cur spei aliquid recuperandæ valetudinis superest, si se se in eodem speculati cognoscant? An quia, vt Aetius dixit, faciem suam rubicundam, toruè tuentem, atq; ira plenam in eo contuentes pertubantur, adeò mutatos se se conspicati? at si nihil aliud addatur, id non soluit difficultatem. Nam labro vno deciso, exsectis naribus, euulso altero oculo deformissimum, & horrendissimum si quis se videat in speculo, non ideò terrebitur, & expauescet, vt sui aspectum tolerare non possit. Causam itaq; hoc habet communem cum aquæ timore. Vt enim in hac, ita & in conspicuo speculi lucido canes sibi videre videntur, à quibus cum omnia pessima, & quæq; grauissima, & quibus nullum sit remedium, sibi ipsis timeant, acriùs perhorrescunt, nec horum conspectum ferre pos-

Ratio Aetij.

Dubitatio cōtra illam.

Causa verior.

ſunt. Ideò autem ſalutis aſpirat aura, licèt exigua, ſi conſtantes perſeuerare poſſint in ſpeculo ſe contemplantes, quia, vt ſuprà dictum eſt, ſpiritus animalis primò contaminatur, indè reliqui. Primò itaque mens læditur. Ergò ſi illa faciat, vel ad id nondum perueniſſe affectum arguemus, vt canes videat, vel ſi videat, tanta vi adhuc ægrotum pollere arguemus probabiliter, vt phantaſmata vincat, indèque malo remediū cautiſſima natura nihil huiuſmodi cogitans, ſe ipſa edocta, percipiat. Non ſecus, ac accidit Philoſopho illi, de quo ſuprà, qui videbat quidem canes in aquis balnei, ſed ſe deludi iudicans, in aquas ſe coniecit, & fortuitò remedio certam eſt ſanitatem conſequutus. His rationibus deludi poſſe hydrophoborum mentes facilè credet, qui ſecum reputabit alios eſſe morbos, quibus non in alijs videre, ſed ſe ipſos eſſe abſurdiſſima quædam ipſi ægri arbitrantur. Sic more canum tripudiant, & rixantur iudicio corruptiſſimo [adeò vt quidam ita ſibi vinculo veretrum conſtrinxerit, vt penè decideret, & eſthiomeno corrumperetur apud Foreſt. lib. 10. obſeruat. 26.] quicunque cynanthropia laborant: lupos ſe iudicant, noctuque domi ſe continere non poſſunt, circa ſyluas, & mortuorum ſepulcra luporum more vlulantes oberrant, qui morbo ab hiſce ſymptomatibus lycanthropia vocato, infeſtantur. Quid nonnè dormientis capiti ſubiectum cor viuæ ſimiæ nuper extractum efficit, vt in ſomnis feræ videantur, quibus dilaniare videare: quæ mala ſomnia ſolent arcere dentes equi maſculi, vel collo, vel brachio ſiniſtro appenſi apud Iacobum Vuecherum ex Porta, & Cardan. libro 5. de ſecretis cap. 9. Nonnè lentes, phaſeoli, fabæ, vt potè flatuoſæ, allia, cæpe,

Cauſa, cur ſpes vitæ ſuperſit, ſi ſpeculi conſpectum tolleret hydrophobus.

Mens corrupta in multis morbis. Hiſtoria.

Nota.

Quibus cieantur tumultuoſa ſōnia.

porra capitata, & brassica tumultuosa somnia solent vino ingurgitatis inducere; cum contra hypoglossum, melissa cœnæ summo commansa somnia iucunda concedant, & grata? quid autem est somnium, nisi dormientis, nec tamen ociosi animi figmentum, seu delusio? quid ergò impedit per morbum in vigilia fieri, quod natura, vel arte fit in somno? Sed multi sunt, qui falsum esse asserunt in hydrophoborum vrinis canes videri [quod tamen nos suprà sine probatione asseruimus] vel in aquis eosdem hydrophobis apparere, quorum tamen sententiæ adhærere non possum, hac sola ratione permotus, quam suprà etiam attigi; quia Philosophus citatus canes cum vidisset in balneo in illa verba prorupit: quid commune cani, & balneo? Verùm quænam sit rei huius causa non est facilè affirmare. Conciliator differentia 179. hac ratione probat canum formas in hydrophoborum vrinis apparere, quia orta referunt naturam suorum principiorum, si agens sit validum, & materia facilè agentis actionem, & impressionem recipiat, sed vrina est materia non resistens, sed facilè cuiusuis agentis actionem suscipiens, quippè subtilis, humida, facilèque passibilis: agens est potentissimum, quippè venenum calidum, & siccum, siccitas enim, tanquàm lima calorem acuit, & roborat ad vehementiorem actionem: hoc venenum à cane rabidò procedit, itaque id, à quo deriuatur in vrinarum sedimentis debet figurare. Hæc tamen ratio, licèt acutissima non subsistit. Primò, quia nulla probabilis ratio afferri potest, qua ostendatur hoc venenum potiùs agere in vrinarum contenta, quàm in alias corporis humiditates, cur ergò in sanguine, cur in sputo, cur in aquis per sedem

Quibus iucunda.

Canes viderinon vrinis hydrophoborum.

Causa tanti miraculi. Ratio Conciliatoris?

Ratio prima contra Conciliatorem.

excretis formæ canum etiam non apparerent? Præterea si qua daretur causa formatiua horum idolorum, ea spectaret ad naturam indiuidui, non autem ad venenum, quod nullam habet vim formatricem, sed tantùm corruptricem. Ad hæc cur in vrinis demorsorum ab alijs animalibus, eorundem figuræ in lotio non efformantur? quæ dispar ratio? Denique huiusmodi formæ non semper apparent, fortè nunquàm verè videntur. Ego enim in ægroti nostri sedimentis, quæ in vrinis conspexi, tales formas aduertere non potui, cum tamen fuit maximè horrendum, & actiuum. Dico itaq; has figuras falsò ab hydrophobis in suis vrinis, & in alijs liquoribus existere iudicari, ex quo fit, vt aquam, & liquida omnia pertimescant hac spectrorum falsa imagine perterrefacti. Quam enim rationem harum figurarũ in aquis Conciliator assignabit? quod si in aquis verè non sunt, sed esse ab hydrophobis putantur, cur idem in vrinis etiam contingere non poterit?

Alia ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio cõtra Conciliatore.

Conclusio huius difficultatis.

Octaua quæstio. Cur rabies sopita, Februario præsertim mense solet efferari? An quia tunc Ver incipit aduentare, ex quo sanguis incalescens incipit ebullire, quare serpit motum contagium? An quia ex antiperistasi virus magis, ac magis concentratur, interiora subit, vbi calorem concipiens miris modis torquet affectum? An quia in hoc mense vis aliqua arcana insit hactenus incognita ex cõcursu fixæ alicuius causæ naturalis, ex qua, vt quidam anni dies fausti, vel infesti esse possunt, vt ex Astrologis didicimus, ita quidam menses vni rei magis conducere, vel obesse possunt, quàm alij; cum aliquo modo sympathiam, vel antipathiam quandam habere, vt idem, vel mitescat, vel exa-

35. Prima ratio cur Februario rabies efferetur.

Alia ratio.

Tertia ratio.

cerbetur hoc quidem mense magis, illo minùs? Equidem noui Reu. P. Ioannem ex oppido Montis Calerij Concionatorem admirabilem ex Diui Francisci familia arctione Capuccinorum vocata, virum doctissimorum, in arcanis naturæ indagandis diligentissimum, & solertissimum Demostheniana laude ob summam eloquentiam dignissimũ, milleque alijs nominibus omnibus gratissimum; qui ephemera febre singulis annis die vigesima secunda Iulij ad aliquot horas affligitur, cuius causam consimilem assignatis credidimus. Huiusmodi historiam narrat Dodonæus in suis obseruationibus medicin. cap. 84. de Ioanne quodam architecto, qui stato sui natalis die quotannis febre ex bile putrescente laborabat, & tandem eadem die senex factus obijt eodem morbo. Alia non absimilia in hanc causam afferri possent, quæ apud penetralium naturæ solertes inuestigatores passim obuia reperies.

Laus P. Ioannis ex Monte Calerio Capuccini.

Historia notanda.

36. Proponitur cur hydrophobi nõ febriant, nisi propè mortem. Ratio huius rei ex Fracast. Refutatur Fracastorius

Nona quæstio. Cur febre communiter hoc affectu correpti non incalescunt, nisi in fine rei, vt cum Auicenna loquar, paulò ante mortem? Doctissimus Fracastorius putat eam rei huius esse causam, quòd sensim fiat rabies, & quod euaporat non statim ad cor fertur, sed longè post, aut etiã expellitur. Propagatur tamen per partem post partem ad interna, ac denium ad precordia, quò vbi peruenit, & febrem suscitat, & septum transuersum, & cor ipsum conuellit, ac postremò furorem, ac mortem affert. Sed, vt ego quidem iudico in multis errare videtur Fracastorius, quia putat ideò rabiem sensim fieri, quia illius seminaria sunt crassa, & ad humorem melancholicum analogiam habẽtia. Hoc sibi videtur probare ex eo, quòd fomite non con-

cipia-

cipiatur hæc contagio, nec in cute fiat per contactum simplicem, sed dilaceratione cutis indigeat. Quia ergò agere non potest, nisi cutim laceret, infert soli sanguini hoc contagium agglutinari melancholico, partes autem solidas non attingere. Sed hæc omnia sunt falsa: nam ideò rabies sensim fit, quia in saliua defertur dentibus caninis hærente, hæc autem minima sit necesse est, quia in cutis lacerationes dentes penetrantes ea mundātur, quare illius minimum potest subire. Tantula autem portiuncula huius veneni non potest breui tam miris modis hominem torquere, sed per contactum affectis vicinis partibus, & primò spiritibus animalibus, qui faciliùs possunt recipere virus ob sui tenuitatem, & minorem calorem, principes adoritur, hominemque miserrimè perdit: & quia minùs, & minùs saliuæ potest se se in cutem insinuare, maius, & maius tempus dari potest, quo rabies efferetur, de quo etiam obiter superiùs. Itaque ob hanc rationem sensim fiet rabies, & modò tardiùs, modò celeriùs excitabitur. Peræque falsum est, quod ait rabiem sola laceratione cutis contrahi: contactu enim solo saliuæ gigni posse iam suprà diximus, & experientia, ac auctoritate firmauimus. Dioscorides libro 6. cap. 36. affirmat Themisonem cum amico aquam expauescenti morem gereret, & officium exhiberet, quadam naturarum concordia, similem affectum contraxisse. Hoc itaque ex contactu corporis, vel saliuæ fieri debuit. Quanquàm scio alios respiratione sola indicare hydrophobiam illum potuisse contrahere, quod quia Philosophiæ non repugnat, nec pertinaciter defenderem, nec superciliosè improbarem, cum experientia neutram partem cōuincat veram, uel falsam. Erat etiam dicens

Nota cō tra Fracastorium.

Refellitur Fracastorius asserēs rabiem sola cutis laceratione conci pi.

Alia reprehẽsio Fracasto rij dictorum.

Vera causa cur hydrophobi non febriãt, nisi propè mortem.

Cur læso spiritu naturali, alij etiam spiritus lædũtur, nõ è contra.

cens in fine conuulsionem, tum furorem induci rabie, tum mortem: nam furor ante conuulsionem, & febrem ægros exagitat, vt ex sequentibus potest inferri, in cerebro enim est furor, in corde febris, cerebrũ verò antequàm cor lædatur, labem contrahit. Reddenda itaq; fuit causa, quæ horum omnium rationem explicaret. Eam nos iam suprà attigimus, nunc iterum breuiter perstringimus. Spiritus inuicem generari tanquàm ex materia apud Medicos constat, ita vt naturalis in hepate ex chilo generetur, ex eius defœcatiore parte vitalem cor elaboret, ex cuius puriore portione animalis fiat in substantia cerebri, qui motus, sensusq; fit instrumentum. Hinc vitiato naturali ex connexione, quam hic habet cum vitali, hunc quoq; contaminari est necesse, & incalescere, vbi ille plùs iusto efferbuerit, licèt non è contra. Naturali, & vitali infecto, plùs quidem, vel minùs, sed omninò tamen afficitur animalis, ita vt naturalis reliquorum fundamentum pati non possit, quin reliqui compatiantur, modò plùs, modò minùs cum læsione operationum, licèt non semper sensibili. Hęc ita intelligenda sunt, vt sicut naturali læso, alij etiam læduntur, contrarius tamen progressus non semper sit verus, idest vt læso animali, statim omninò lædatur vitalis, inde naturalis. Ratio est, quia naturalis est aliorum materia, & fundamentum, non è contrà: læsa autem materia, ex qua aliquid fit, & id quod fit labem sentiat necessum est; læso autem quod ex alio factum est, non protinus illud ex quo fieri potest, & separatum adhuc est, debet contaminari. Ex hac spirituum generatione constat crassissimum omnium spirituum, & minùs purum, ac defæcatum esse sanguinem, vt porè chilo paulò per-

fectiorem, ex quo sordidissimum excrementum, stercus nempè separatur, & lotium: tenuiorem vitalem: tenuissimum animalem, qui etiam omnium frigidissimus est sequutus temperiem partis, & officinæ, in qua elaboratur, licèt ob tenuitatem velocissimus sit, & ad naturæ munia paratissimus. Ob hanc tenuitatem primus omnium rabiei veneno inquinatur, quòd ad patiendum sit aptissimus, & antipathiam peculiarem habeat cum hoc veneno, hinc animales operationes primæ omnium deprauantur. Progressu contagij ex consensu partium per vasa, & spiritus per illa delatos vitalis, ac naturalis inquinatur. Cum autem ad vitalem malum peruenit, tunc febris accenditur, & veneni vim ad cor peruenisse denunciat, quare cordis conuulsiones, & mox mortem instare portendit. Ita contigit in ægro nostro, qui febre postquàm correptus fuit, paucas admodum horas supervixit. Ex his hoc modo disputatis patet error Palmarij, qui libro citato, capite primo docet febrem perpetuam esse comitem huius affectus, quod rationes allatæ conuincunt omninò falsum, & nos contrarium experientia didicimus.

Cur spiritus animalis cũ omnium frigidissimus sit, omnium tamen sit velocissimus.

Quando nam primũ in rabidis excitetur febris.

Sed vlteriùs inquiri posset, cur hoc rabidi canis virus priùs corripiat hunc spiritum animalem, cum in alijs venenis contrarium appareat? nam scorpij venenum spiritus vitales, canthatides vesicam, lues venerea spiritum naturalem, lepus marinus pulmonum substantiam primò inuadit. Causam huiusmodi arcanorum in arcanis naturæ hucusque latitasse suspicor, & in antipathiam naturalem congenitam agentium corporum, & patientium referendam esse existimo. Nec aliter in re difficillima homini philosophari permissum. Si meliora quis

Cur venenũ rabidi canis primum omnium spiritũ animalẽ inquinat. Causa occulta.

edoceat, libens admittam, & officiosè docentem libenter audiam.

17. Quomodo Philosophus doceat omnia rabire, & mori demorsa à cane rabido, preter hominem.

Decima quæstio. Cur cum homo rabiat, & ex rabie moriatur, alia item animalia rabiant ex morsu rabientis canis, vt homo, tamen Aristoteles libro 8. de histor. animal. cap. 22. docet quæ canes rabidi momorderint, rabire omnia, præter hominem: preterea interire canes hoc morbo, & quæ morsa sunt excepto homine? Fracastorius respondet multos homines à rabidis canibus demorsos temperaturæ beneficio, vel non contrahere contagem, vel contractam absque auxilijs superare, nec rabire, quod tamen contingere non potest alijs animalibus, quæ propter feritatem, qua cum cane conueniunt, concepta contage necessariò rabiunt. Itaq; verum est, inquit, dictum Aristotelis, quod omnia animalia, quæ canis rabidus momorderit, rabiant, idest necessariò, excepto homine, qui rabit quidem aliquando, sed non necessariò, quare nec semper, hinc intereunt canes, & ab illis animalia demorsa inde necessariò rabie corripienda, non homo, qui illa potest corripi, & non corripi. Sed verè difficultas non soluitur. Certum enim est hoc virus esse ex ijs, quæ sunt toto genere contrà naturam non tantùm aliorum animalium, quæ rabie tentari possunt, sed etiam hominis, itaque quoad hoc par est omnium ratio. Deinde eodem modo procedit in homine, ac in alijs animalibus, & si qua est diuersitas, ea etiam cernitur in varijs indiuiduis eiusdem speciei, nam vnum citiùs, quàm aliud efferatur ex rationibus superiùs assignatis. Si autem quis demorsus homo non mortuus sit hydrophobus, non censendus est rabiem deuicisse, sed à tempore morsus ad mortem, non potuisse virus saliuæ vires suas

Explicatio Fracastorij.

Reffellitur explicatio Fracastorij.

excrere ad hydrophobiam inuehendam: nam is, quem suprà diximus post annum decimum octauum, vel etiam quadragesimum à morsu rabidi canis hydrophobiam incurrisse, poterat ante illos exactos emori. Malè itaq; ex illo conclusum fuisset posse demorsum non rabire, nam plùs temporis postulabat exigua veneni portio in tali corpore ad malignitatem suam patefaciendam. Adde vim resistentem, quæ maior esse in vno potest, in alio minor, ex quo plùs, minusuè temporis ad hyhrophobiæ generationem requiritur. Vel dici potest fieri aliquando posse, vt dentes lacerationem cutis faciant, nihil tamen saliuæ intrò penetret, sed vestibus tantùm adhæreat nunquam carnem tacturum, quo in casu nunquam rabiet demorsus. Et hoc tam contingere potest in hominibus, quàm brutis. Id si non accidat, vel citò, vel tardè rabie efferati demorsi morientur. Itaque alij dicunt textum esse ibi corruptum Leonicenum sequuti; qui in hoc Theodorum interpretem reprehendit legentem plun anthropon, idest præter hominem. Vult enim Leonicenus audiri prin, idest priùs, vel anteà, vt sit sensus demorsa animalia rabire priùs, quàm homo rabire soleat; nam reliqua paucis diebus intereunt, homo ad multos annos superstes degit aliquando. Quamquam cum hoc stare potest aliquem hominem citiùs posse mori, quàm aliqua bestia, vel quia patentiora habeat vasa, quibus virus ad partes principes deferatur, vel quia in partibus propinquioribus ipsis principibus virus recipiatur, vel quia maior saliuæ portio ex morsu in vulnere relinquatur, aut propter alias huiusmodi rationes. Marcellus Donatus vir sanè doctus lib. 5. de medica hist. mirabili cap. 1. putat vulgatam Ari-

Explicatio aliorum.

Marcelli Donati explicatio.

ſtotelici cordicis lectionem non eſſe immutandam, ſed verbum Græcum plein non præter, ſed more Atticorum pro pleon poni, quæ vox plus latinis ſonat; ita vt Ariſtotelis ſenſus ſit animalia omnia à rabido cane demorſa plùs homine rabire, & interire, quia homo multis annis ſanus à morſu rabidi canis viuit, cum alia animalia citius rabie tententur, & pereant. Huius rei cauſam refert in humiditatem, qua homo ſupra alia animantia præditus eſt; ſi enim canis ob ſiccitatem rabie corripitur, conſonum profectò erit rationi, vt homo, qui ex Philoſopho 4. probl. partic. probl. 7. calidus eſt, & humidior cæteris omnibus animantibus, ratione ſuæ humiditatis innatæ difficiliùs, quàm reliqua omnia animantia corripiatur rabie; atque ita verum erit quæ canis momorderit, omnia rabire plùs homine; & interire canes hoc morbo, & quæ morſa ſunt plus quàm homo modo explicato. Quæ ſanè explicatio benè ſolueret difficultatem, niſi hiſtorijs repugnaret; certum enim eſt hydrophobiam Ariſtotelis temporibus incognitam fuiſſe, de quo mox dicam. Sed poſt horum omnium elucubrationem, inueni rei huius eruditiſſimam, eamq; germanam totius difficultatis grauiſſimæ explicationem apud Hieronymum Mercurialem lib. 1. variarum lect. cap. 2. vbi affert ſolutionem Iulij Pollucis in 5. vbi vult ideò vera eſſe, quæ docet Philoſophus, quia omnia animalia à rabido cane commorſa moriuntur ex rabie, ſolus homo, licèt non ſine periculo, ſuperſtes manere poteſt. Quæ explicatio ferè coincidit cum Fracaſtoriana. Sed verè Ariſtoteles nō hoc docet, ſed rabie hominem non corripi, quod tamen eſt apertiſſimè falſum. Alij ex eodē non plun anthropon, præter hominem, ſed plun cunos, ideſt

Cauſa cur homo longiore tēpore quā alia animalia reſiſtat rabiei.

Non admittitur explicatio Marcelli Donati.

Solutio Iulij Pollucis.

Illius refutatio.

Aliorū explicatio.

præter anserem, quia sæpè anseres à canibus rabidis mordentur, nec tamen intereunt. In quo tamen non est certa fides, nam vt alia animalia, ita & anseres, licèt fortè seriùs, rabie corripientur. Sueſſanus vult ideò veram esse Philosophi sententiam, quia cum alia animalia ex morsu rabidi canis moriantur, solus homo medicamentorum ope seruari potest. Sed neq; hoc soluit difficultatem. Nec enim ait Philosophus solum hominem rabie curari, sed non capi. Itaque mala explicatio, vel malè Aristotelis. His allatis opinionibus, quas nos reiecimus, propriam, eamq; legitimam adstruit Mercurialis. Et primò quidem veram esse docet vulgatam lectionem textus, quam confirmant vetustissimi codices manuscripti, alijq; multi diligenter ab eodem enoluti. Sed quomodo omnia animalia rabie corripiuntur ex morsu rabidi canis, præter hominem? Solus homo non statim rabie corripitur, idque sæpè, ita vt inter morsum, & hydrophobiæ tempus sæpè multi anni elabantur, vt ex superioribus constat: hinc factum est, vt ab antiquis nondum animaduersum esset homines in hydrophobiam deuenire ex morsu canis rabidi, cum tamen alia animalia viderent statim ex rabie mori. Quæ causa fuit cur Philosophus dixerit absolutè hominem solum non rabire ex morsu canis rabidi. Neq; verò putandum est hydrophobiam temporibus Aristotelis non viguisse, sed à medicis illorum temporum nondum fuisse cognitam, & pro alio quopiam morbo acuto tractatam, & cognitam. Huiusce rei fidem facit Plutarchus 8. sympos. probl. 9. vbi docet hydrophobiam, & elephantiasim morbos fuisse nouos Asclepiadis tempore, qui sub Pompeio Magno, Romæ in arte medica claruit. Fuerunt morbi noui non

Refutatio.

Sueſſani explicatio.

Reprehenditur Sueſſanus.

Legitima explicatio loci Aristotelis ex doctissimo Mercuriali.

Aristotelis tempore hydrophobia erat incognita.

Hydrophobia primùm cognita temporibus Pompei, nempè multò post Aristotelem.

quidem orbi, sed Medicis, quorum nullus prius cognouerat aliquo grauiore symptomate, vel hydrophobia commorsum à cane rabido hominem tentari solitum. Sic morbus Gallicus Italiæ, atq; adeò toti Europæ fuit morbus nouus; qui tamen Indis non erat nouus: Sic Scorbutus apud Belgas nouus est morbus; qui tamen orbi terrarum non est fortè talis. Deniq; certum est Aristotelis tempore hydrophobiam incognitam fuisse: nam Asclepiade antiquiores Medici nihil de hydrophobia conscripserunt: Hippocrates, qui in suis operibus, & in Epidemicis libris præsertim, incredibilia propemodùm morborum genera recensuit, de hydrophobia ne per somnium quidem meminit. Nicander Colophonius, qui ante Pompeium sub Attalo postremo Pergami Rege floruit, prosequutus omnia venena, quæ vel intrò assumpta, vel morsu extrinsecus afficientia, mortem solent afferre, de hydrophobia ne verbum quidem fecit, quod temporibus suis nondum innotuisset. Cælius Aurelianus contendens hydrophobiam antiquis fuisse cognitam, falsam loca Homeri, Menandri, Democriti, & Hippocratis adducit. Ouidius hoc versu:

Confirmantur prædicta

Solutio tacitæ obiectionis.

Soluere nodosam nescit Medicina podagram,
Nec formidatis vlla medetur aquis:

Innuit morbum esse nouum, ad quem propulsandum nondum aptum remedium inuentum esset. Si ergò Aristoteles hydrophobiam, & rabiem in homine non agnouit, quid mirum, si falsò omnia animalia ex morsu canis rabidi, & rabire, & mori docuerit, excepto homine. Hæc ex doctissimi Mercurialis loco citato, cui ideò Manes Philosophi multum debent.


Vndecima quæstio. Vt hoc etiam obiter examinemus,

nemus, quæritur, cur cum canes, ex multorum opinione, licèt falsa, natura melancholici sint, nempè frigidi, audaces tamen sint maximè, non timidi, quod in animali frigido deberet contingere. Communiter volunt Medicophysici illius opinionis, timida esse illa animalia, quæ sinus habent cordis magnos, & cor magnum; audacia verò, quæ cor, eiusq; sinus habent exiguos. Et iure quidem: etenim in exiguo corde, & sinu, minore etiam vigente calore, maximè sanguis efferuescet, ex quo ira, & audacia: in corde magno, magnisq; sinubus, maiore etiam vigẽte calore, minùs sanguis incalescet, quare minor audacia, maior existet timor. Exigui & cordis, & sinum esse canes anatomica sectione innotescet experiendi cupidis, cuius contrarium in leporibus animaduertes. Hæc de morsu canis rabidi, re quidem non passim obuia, eius curatione, alijsque, quæ ea de re quæri posse videntur dicta sufficiant; quæ in laudem D. O. M. eiusque matris Virginis scripta sunto.

Quęnã animalia sint timida, quæ audacia.

Canes exiguũ habent cor, eiusq; sinus.

FINIS SECVNDI LIBRI.



IACOBI CARANTAE CVNEATIS DOCTORIS Philoſophi, & Medici.

LIBER VNICVS DE NATVRA VISIONIS.

In quo demonſtrat viſionem fieri extramiſſione, & difficillimorum morborum oculos afficientium facillimam tradit cognitionem, & curationem.

Philoſophis nouitate gratum, & iucundum: Medicis verò ad praxim neceſſarium penitùs opus.

AD PERILLVSTREM D. CAROLVM MANFREDVM Iuſſianam I.V.D. Excellentiſs.



SAVILIANI,
Apud Chriſtophorum Strabellam. M.DC.XXIII.
Superiorum permiſſu.

Perill. ac Generosiss. viro

D. D. CAROLO

MANFREDO IVSSIANÆ

I. V. D. Excellentissimo.

Iacobus Caranta Philosophus, & Medicus S. P. D.

EA est (vir humanissime) scientiarũ conditio, vt si quis eas perfectè assequi velit, vnum sibi eligere debeat ducem, quem sequatur, ne si multorum lectioni det operam contrariarum opinionum fluctibus agitatus in perfectæ sapientiæ portum inuehi minimè possit. Hac opinione ducti Iurisperiti Iustinianum, Medici Galenum, Philosophi Aristotelem, Geometræ Euclidem, Ptolomeum Astrologi, Ciceronem Rhetores sibi proponunt imitandũ, horum doctrina suos animos imbuunt, horum sensa in animos infigunt, vt vna, eaq; regia via ad sapientię metam perueniant. Verum enimuerò cum studiorum

finis

finis sit veri cognitio, & humanæ Reip. vtilitas, legitimè is mihi videtur scientiarum iter arripere, qui postquàm suę professionis scientiam didicit, ita in illius vsu exercitationeq; versatur, vt ijs, quæ ab antiquis tradita sunt non contentus, nouis inueniendis, ab antiquis traditis, vel perpoliendis, ac in melius reformandis, vel augendis; aut etiam, si ratio postulet, in contrarium commutandis insudat. Horum vestigia ego in pręsētia sequutus cum mecum ipse perpenderem morbos aliquos, quibus oculi, licèt rarò, tentari solent, eorumq; causas paulò diligentiùs rimarer, necessariâ consequutione collegi oculos nostros videre non ea ratione, quam summus ille naturæ interpres Aristoteles definiuit, nempè rerum simulacra in se ipsis recipiendo, sed contrario prorsus modo, quem olim in Academia diuinus Plato explicabat, nimirum visiui spiritus effusione, & vi intuitiua ad res visiles ab oculis emanante. Incessit animū isthæc in communem vtilitatem cupidi-

tas conferendi. Terrebat nouitatis odiosę opinio. Quid enim ego auderem licèt antiquam, obsoletam tamen, & penitus antiquatam opinionem renouare contrà Philosophię Principem Aristotelem, cõtrà Peripateticorum omniũ turbam propemodùm infinitam nullo duce directus nullo auctore confirmatus, nullo præceptore edoctus? Licèt enim Plato id docuerit, licèt alij quidam illius sint sententiam sequuti, tamẽ eam potiùs mihi verbo tenùs affirmasse, quàm rationibus, cõfirmasse, & in medium potiùs attulisse, quàm stabilisse, & contrà Philosophum defendisse videntur. Antiquitatem, vel sui duntaxàt nomine venerationem mereri videbam: Opinionis contrariæ patronum Aristotelem sola sui nominis cõmemoratione omniũ animos in sui sensa illecturum: nouitatis nomen in re grauissima, in morborum nobilissimam corporis nostri partem occupãtium reddenda causa, omnium animos offensurum pertimescebam. Non potui tamen à conce-

pta opinione remoueri: Imò cum viderē Aristotelē ipsum docuisse veritatis gratia Philosophos debere sibi contradicere docuisse Galenum non inuentu facilem esse veritatem, ac proindè sectarum multitudinem inde ortum traxisse: Scripsisse Senecam veritatem nondum esse occupatam, & scriptores antiquos nō esse nostros dominos, sed duces, ita vt iure ab eorum sententijs recedamus, vbi potiores inueniamus contrarias rationes: Hippocrati diuino propemodū oraculo tanquàm testi Galenum nō credere, sed certis, firmisq; demonstrationibus suas opiniones cōfirmāti; Seruos, & libertinos appellare, qui ita se se alicui scriptori manciparunt, vt ne latum quidem vnguem sibi recedendū putent ab ijs, quæ ille docuerit, verumne, an falsum sit id neq; ratione, neq; experientia examinare tentātes, Tyrannicam hanc esse sapientiam inclamantem: cum inquam hęc omnia mecum ipse reputarem: cum medicis experimentis Platonis sententiam viderē con-

firmari,ab eaq; ad tutam curationem dif ficillimorum morborum nos manuduci perpenderem, officio meo mihi defuisse visus essem, si quod sentirē in rè grauissima non protulissem in medium melioribus,si afferantur, assensurus. Et licèt existimarē futuros esse multos,qui lecta non probarent, scripta tamen ob vtilitatem æqui boniq; consulturos esse plerosq;omnes mihi persuasi Nec veritati Antiquitatē prçiudicare putaui,cū renouata opinio nostra, non noua, sed peripatetica sit antiquior;& nos Aristotelē in hoc ipso instituto sequuti simus,qui Platonem diuinum suum præceptorē non semel repræhendit;nec recesserimus à Galeno,qui sæpius non tantum Medicos doctissimos se antiquiores,sed ipsum etiā Hippocratem quem tanquàm numen aliquod venerabatur,cōfutauit. Ergò has lucubrationes eruendæ veritatis gratia à me conscriptas cōtrà eum Philosophum,quem Plato ipse veritatis Philosophum, & intellectum appellauit, & quo viuente ob sibi natum

Alexandrũ Philippus Rex Macedo Deo gratias retulit, in lucẽ editurus, pluribus de causis tibi debere me scio, vir doctissime. Cũ enim multi sint Zoili, qui non tantum honestos conatus laudare nolint, sed etiam carpant: multiq; morosuli qui nihil non improbent: nullusq; ante hac mortalium fuerit, qui eorundem morsus, & Archilochorum aculeos euitare potis fuerit; te vnum elegi, qui auctoritate, qua viges Zoilorum retundas audaciam, maleuorum dentes infringas, & doctæ eloquentiæ tuę luce fugatis illorum tenebris libello gloriam, & commendationem des, augeas, & conserues. Neq; sanè mihi visus est hic liber de singulari opinione disputans alteri dedicandus, quàm viro illi, qui singulari prudentia, eloquentia, & doctrina prędit⁹ non tam poterit illum legere, quàm iudicare, & tueri. Ego verò condignum susceptorum laborum fructum retulisse me iudicabo, si librũ semel lectum, à te, tuiq; similibus probari intellexero: si testimonium hoc animi erga te mei non

quale desidero; certè quale nunc temporis valeo, tibi probari persensero. Quanquam non ignoro opus hoc non esse eiusmodi, vt tibi, similisq; farinę viris politioribus excultos doctrinis possit apprimè satisfacere, & mentis tuę sensibus respondere: scio donum hoc esse eius generis, vt cum te collatum, parum esse omninò depræhendatur: scio eam esse tuorum in me magnitudinem meritorũ, vt condignas tibi gratias referre minimè possim: vt ideò muneris spectata exiguitate, tuaq; conditione perspecta apertissimè videam munusculũ nihili me viro amplissimo offerre, vilem teruntium homini opulentissimo, Artaxersi aquam inope manu porrigere. Peto tamen à te, vir nobilissime, vt volũtatem effusam respicias, & animum maiora cupientem hilari fronte boni consulas, meq; in tua clientela confirmatum conserues. Etiam, atq; etiam Vale vir amplissime. Cunei Kal. Martij 1623.

DE

DE NATVRA VISIONIS LIBER VNICVS.

AVCTORE IACOBO CARANTA Doctore Philosopho, & Medico.



NTIQVA fuit lis Peripateticorum contra Academicos in explicanda visionis ratione, ac modo. Nam Plato voluit efferri quid ab oculo ad obiecta, sine quo ab oculo res obiectę non cernerentur. Hunc suum præceptorem sequutus est Euclides, & hunc antiqui, ac recẽtiores ferè omnes Mathematici, Alchindus, Larissæus, Theon, Alexandrinus, alijq; innumeri: Aristoteles verò contra diuinum suum præceptorem immeritò insurgens, ab oculo nihil extramitti contendit, sed ab obiectis simulacra sui prodire ad oculos, in quibus pyramidali forma recipiuntur, & ea, à quibus emanant repręsentant, eorumq; adminiculo visionem fieri demonstrare conatur. Galen. verò tertius naturę scrutator eximius, hocq; illis fide dignior, & auctoritate maior, quod experimentis, euentisq; rerum speculationes suas naturales confirmauit, Platonis opinioni accedit, nec Aristotelis commentis adhærere in hoc vnquam voluit, licèt aliquando verbo tenus species intentionales admittere videatur. Amicus Galenus, Plato, Aristoteles, magis tamen amica veritas

Opinio Platonis

Mathematici sequuntur Platonẽ: Aristotelis cõtraria sentẽtia.

Galenus Platonẽ sequitur.

Ratio, qua vtitur auctor in hac tractatione.

ritas ad quam hoc negotium indagandum, absoluendumq; hoc loco suscipimus. Neq; verò sophismatis agemus, sed solidis argumentis, quæ confirmabimus euentis medicis, & certissimis demonstrationibus ex obseruationibus medicis in praxi omnium obseruatione notatis, nec aliquid in medium afferetur, quod vel verè philosophię consertaneum non sit, vel his, quæ in morbis solent contingere, non possit comprobari. His fiet, vt hactenus sopita, & sepulta per vim veritas emergat, æquis rerum æstimatoribus, veriq; solius indagatoribus cognita, & mera figmēta diuturnitate potius temporum, quàm veris rationibus firmata in auras euolent, & penitus euanescant. Censemus enim hoc in negotio inconcussa esse Platonis dogmata, veris, naturalibusq; demonstrationibus fulcita; Principis verò Peripateticorum commenta liuoris potius contra Platonem esse sobolem, quam philosophiæ, idest veræ sapientiæ partum legitimum. Id vt euidens fiat, conclusionibus paucis facilè assequemur. Sit ergo

Auctor adhæret sentētiæ Platonis

Species intentionales Aristotelis non dari ostēduntur.

Prima conclusio. Non dantur species intentionales ab obiectis visibilibus profectæ, quibus visibilia visiuam potentiam immutent, & sine quibus visio nō fiat. Ita sentit Galenus libro septimo de Hippocratis, & Platonis decretis capite 5. vbi cum per exiguum foramen pupillæ fiat visio, si simulacrum aliquod ab obiectis extrinsecus corporibus ad oculum accederet, vtiq; rerum magnitudinem percipi non posse concludit. Necesse namq; esset, vt spectrum tantum, quantus est mons vastus, in oculos ingrederetur, quod est absurdum, si oculus obiecti magnitudinem est percepturus. Imò multi ex ijs qui visionem sine specierum intentionalium ope

Rationes Galeni cōtra species has afferuntur. Fit visio sine speciebus aliquando per aduersarios.

fieri non posse docent, casus aliquos concedunt, in quibus nullas inueniũt species, & tamen visionem actualem concedunt, vt cum splendore viso clausis oculis lux adhuc videtur; vel idem accidit oculo confricato, in quibus visionibus nullum est medium, & consequenter nullæ species, quę in medio, à quo educuntur, subiectantur. Inter hos etiam est Toletus doctissimus in libro 3. de anima, capite primo, quæstione secunda, cõclusione secunda, quem quisq; mirè contra se pugnantem videre potest, vt & peripateticorum multos in eadem naui nulla veritatis pyxide ductos huc, illucq; iactabundos, & instabiles. Verum vt rationibus rem hãc stabiliamus, probatur primo conclusio argumento siue ad hominem, siue simpliciter: statuunt enim Aristotelici dogmatis defensores visionem fieri per species sub forma pyramidali, quæ species sunt semper in medio præsente obiecto, conusq; pyramidis perficitur in quolibet puncto assignabili medij, à quo ad obiectum linea recta duci potest, idq; ex eo patet, quod ex huiusmodi punctis omnibus tale obiectum videri potest, modo potentia in eodem applicetur obiecto videndo. Hoc posito, si darentur hoc modo species intentionales, daretur actu infinitum categorematicum naturaliter, sed implicat dari huiusmodi infinitum, ergò non dabuntur species intentionales. Sequela maioris probatur: quia in quolibet puncto medij assignabili perficitur pyramis, ergò tot erunt pyramides, quot puncta assignabilia, sed puncta assignabilia sunt infinita, ergò infinitæ pyramides. Nec valet quod puncta illa sint infinita potentia non actu, cum in continuo non dentur partes actuales, sed tantum potentiales, quia in huiusmodi potentialibus punctis actu finitur pyra-

Prima ratio.

Figmẽta Aristotelicorum.

Satisfit obiectioni.

ſatio non fiet. Tertiò ſi viſio fit per ſpecies, ergò & ſenſatio, ergò ego ſentiam calorem ab eo loco, ad quem calor non pertingit, ſed ſola ſpecies, quæ eſt Peripateticorum quorumdam ratio, quę tamen maximè illos vrget, & torquet. Quartò quia ex data diſtantia quis videt obiectum, quod alius videre nequit, ergò viſio non fit per ſpecies. Conſequentia probatur, nam antecedens experientia clarum eſt: quia ad viſionem [non dico ad exactam, ſed ad viſionem ſimpliciter] requiritur potentia, obiectum, ſpecies, & medium illuminatum per Peripateticos, ſed hic adſunt hæc omnia, ergò debet fieri viſio, quæ tamen elicitur ab vno oculo, non ab alio, ergò ex alio capite oritur huius rei cauſa, quam à ſpeciebus: cauſa verò eſt ſpiritus, vt infra patebit. Quintò probatur quia multa videntur in ipſo oculo, quæ non ſunt extra oculum, ergò iſta per ſpeciē non videntur, ergò non dantur, nec ſunt neceſſarię huiuſmodi ſpecies. Probatur conſequentia, quia ſpecies diffunduntur per aerem, hic autem nulla talis diffuſio reperiri poteſt. Antecedens primi argumenti probatur, quia ſuffuſi ſibi videntur videre muſcas volitantes in aere, & alia multa, quæ in aere non ſunt, cum à nullo videantur, præterquam ab ipſis. Item ijs, quibus febrientibus febre ardente, vel continua fluxurus eſt ſanguis è naribus oculorum hallucinationes, & apparitiones ante oculos contingunt ex Galeno pluribus in locis, & 3. de criſibus capite 11. vt euenit fratri meo, qui colores ſibi videre, & feneſtras multas coloratas videbatur, vt alibi diximus. Hæc verè ab huiuſmodi conſpiciuntur, extra eorum autem oculos non ſunt, nam perinde ab alijs viderentur, ac ab ipſis, itaq; in eorum oculis erunt, proinde ſine intentionali ſpecie

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Ratio quinta.

Ab experientia medica cōfirmatur ratio.

Alia experiētia ex Galeno.

videbuntur, ergò species istæ ad visionem non requiruntur. Quod si dicas per speciem videri, & intra oculum non esse, species dabitur non entis, quod est omninò fatuum. Sciendum ex Galeno capite 2. libri primi de causis symptomatum hanc esse propositi symptomatis causam. Humor vitreus rhagoidi subijcitur. Rhagoides in medio perforata pupillam facit per pupillæ foramen ab humore chrystallino mittitur spiritus visiuus, hic pyramidis conum constituens, itaq; spiritus fertur primo per vitreum humorem, qui humor si lædatur, visio etiam deprauetur pro ratione læsionis illius necesse est. Si crassus sit visionem obscurat, vt obscurè videntur, quæ sub aqua conturbata conspiciuntur, & nè paulò distantiora cernantur est in causa. Si rhagoidis foramen expeditum omninò sit, visio perfecta elicitur, si totum foramen crasso aliquo velamine obducatur, nihil penitus videbitur: si illius pars tantum obueletur, pars etiam obiectorum extrinsecorum, qua parte pupilla læditur, non cernetur: si in medio foramine corpusculum aliquod consistat, quæ circa sunt illæsis manentibus, iudicabitur obiectum fenestratum, quod tamen integrum, & imperuium erit; nam phantasia quod non videt oculus, excisum putabit: si in eodem foramine corpuscula mota fluitent, sic affectis culices extrinsecus obuersari videbuntur: si verò humor sub amphiblistroide tunica colore aliquo extraneo tingatur, visionem lædere potest, ac deprauare. Nam si sit fuscus tamquam per nebulam affectus sibi videtur intueri; si ruber, flauus, vel alio colore infectus, rubra omnia, obiecta externa, vel flaua, vel pro qualitate coloris in humore ipso consistentis iudicabuntur, idem contingit pari ratione

Causæ prędicto rũ experimentorum affe runtur.

Vbinam sit conus pyramidis spiritus visiui.

Causa visionis obscuræ.

Causa visionis pfectæ, & abolitæ, ac dimidiatæ.

Causa delusæ visionis ob volitãtia corpuscula.

Causa visionis obiectorum coloratorũ, qui tamẽ non sunt extra oculum.

infecto humore aqueo inter corneam, & rhagoidem interiecto, vel ipsa cornea adnatæ, subiecta. Nam si earum corpus vulneretur sectis earum venulis, rubra quæcunq; cernuntur iudicantur. Hoc posito, certum est visus obiectum proprium esse colorem, itaq; ab obiecto colorato mutatur potentia: quod si obiectum sit diaphanum, vt contingit in vitro flauo, videtur color vitri, quod propinquius est potentiæ, quam subiectum corpus opacum visionem vltimò terminans, sed corporis huius sensibilia tantum communia potentia appræhendit; loquendo autem de sensibili proprio fertur potentia in obiectum proximius, idq; propriè dicitur terminare actum potentiæ. Quod autem color iste iudicetur esse in hoc, vel illo subiecto, parum facit ad naturam actus visiuæ potentię inuestigandam; non enim iudicium illud fit ab oculo, sed à potentia interiore. Iam sic arguo: color humoris vitrei videtur, sed hic color nullam format speciem, ergò sine specie videtur, ergò species ad visionem non requiruntur. Minor probatur, quia ideò inuexerunt species, ne concederent actionem fieri in distans sed assignarent aliquid, quo mediante coniungeretur potentia cum obiecto, sed hic immediatè obiectum coniunctum est potentiæ, cuius instrumentum pręcipuum est humor chrystallinus ergò nullæ species requiruntur, ergò visio sine speciebus potest fieri.

Cur omnia videā tur rubra.

Ratio cō tra species ex dictis.

Cur excogitatæ species à Peripateticis.

Obijcies primo, quando radij solares feriunt fenestram vitream coloratam, species coloris apparent in aere, & pariete, vbi videntur, ergò dantur huiusmodi species. Respondeo negando antecedens, & consequens. Primo, quia species sunt imago qua, non quę, itaq; videri non possunt. Sic in

Obiectio.

Responsio.

spe-

In speculis res, non species vidétur.

speculo res ipsæ obiectę videntur, non species, nam species viderentur ex quocumque loco, ex quo speculum ipsum cerni potest, cum tamen videantur in solo puncto reflexionis; nũquam videretur res extra superficiem speculi, nec maior speculo, quæ tamen non ita contingunt, vt etiã demonstrat Euclides theoremate 19. de speculis. Deniq; species nullius sunt coloris, licèt illius dicantur repræsentatiuę itaq; videri nequeunt, cum non contineantur sub obiecto adæquato potentiæ visiuæ. Cum Toleto quæstione 34. libri secundi de anima multi dicunt videri vitrum ipsum per speciem in muro refractam, & in oculum reflexam, vt in speculis contingit. Sed hæc doctrina manifestè falsa est: nam visio fit in linea reflexionis, vt à Perspectiuis apertissimè demonstratur, quia secus visio fieret [ad hominem argumento] ab illo oculo, ad quem non peruenit species rei visibilis pro quo videndus Euclides suppositione tertia de speculis, ergò color ille videri tãtum poterit ex vno loco at videtur etiam ex loco apposito lineæ reflexionis, ergò non videtur color ipsius fenestræ. Ad hæc color hic videtur etiam in aere, at in aere non videtur posse fieri tanta reflexio, quæ sufficiat ad repræsentandum obiectum hoc per radium reflexum, nam vitrum densius nisi plumbo obductum id pręstare non potest. Deniq; interposito corpore opaco, inter oculum, & vitrum coloratum, non tamen inter colorem in muro existentem non videtur vitrum, sed solus muri color at in speculis tale vitrum videtur, & non species etiam cuiuslibet colorati, quæ in speculo potius quàm in muro videri deberet. Sed hæc ita sunt certa, vt vlteriore disputatione non sint oppugnanda, quid ergò? dico verè esse in aere, & in pariete reales

Solutio Toleti obiectionis allatæ.

Huius solutionis reprahẽsio.

Color in muro ex colorato vitro est verus color, non apparẽs.

Probatio alia.

Quomodo statuũtur hi colores.

colo-

colores dependentes in suo esse à solis lumine, & vitro colorato, quorum aliquo sublato statim dispereant. Hi colores quoniam reales sunt, ex quocumque loco possunt videri. Ad hoc species non sunt admittendæ, cum nec species sint, nec illas arguant, nec requirant vllo pacto.

Obijcies secundo multa cum Toleto quæstione 33 libri 2. primo quia vbi sunt aliqua duo, inter quæ est actio, quæ indiget medio, ibi est aliqua actio per medium, talis est visus, & color, ergo inter ea erit actio, non potentiæ in obiectum, ergo obiecti in potentiam, ergo per species. Secundo potentia indifferens ad actum debet ab aliquo determinari ad talem actum, talis est visus, ergo visus ab aliquo determinari debet, ergo ab obiecto, nam potentia se ipsam determinare non potest. Tertio viso homine, notitia illius remanet oculo clauso, ergo quia receptum aliquid est ab obiecto, hoc autem est species. Hæc præter alia infra soluenda seorsim. Respondeo ad primum dari actionem visus ad obiectum per spiritum, & vim intuitiuam modo infra explicando, neq; ex hoc vllum absurdum sequi. Ad secundum dico oculum determinari in genere à natura sua, quia talis est naturæ, vt ferri non possit, nisi in visibilia: ad hunc actum dico determinari à voluntate, qua iubente hic, & nunc videt oculus: vel à tali obiecto, à quo quædam species actus prouenit: sic videt rubrum colorem, dextrum, vel sinistrum, quia pupilla eò imperante voluntate conuertitur. Videt totum obiectum, vel partem, quia fortè totum efficeret conum anguli obtusi, sub quo fieri non potest visio. Ad hunc in indiuiduo actum eliciendum, potiùs, quam eum, quem paulo post eliciet, determinari dico, vel à prima causa, vt multi

Tria alia obiecta. Primum

Secundũ

Tertium

Responsio ad primum.

Ad secũdum.

A qua causa potentiæ ad actus indiuiduales determinãtur.

volunt, & docuit P. Ioannes Baptista Rubeus, olim in philosophia magister meus doctissimus, & religiosissimus; vel probabilius à suis conditionibus indiuiduantibus, quæ in perpetuo motu existentes determinant, modo potentiam ad hunc actum, paulo post ad aliud à priore diuersum, quia mutatæ tales conditiones sunt. Ad tertium dico sensum communem percipere actus sensuum externorum, & speciem formare ex illorum actibus, quam speciẽ, actu sensuum externorum desinente, potest contemplari, itaq; ferri in illud obiectum, cuius præsens habet idolum. Sed ex hoc inferri non potest dari speciem intentionalẽ ab obiectis visibilibus ad oculos transmissam, sed solam tantum visionem præfuisse.

Ad tertium.

Obiicies tertio excellens visibile oculum lædit, sed hoc non fit, nisi per species vehementes, ergò species admittendæ. Respondeo concessa maiore, nego minorem, fit enim ex intensa qualitate aliqua, puta splendore, qui visum disgregando, idest spiritus visiuos, in causa est, ut maiorem conatum adhibeat potentia, in quo plures spiritus suppeditare organo conatur, itaq; facultas delassatur, tandem destruitur. In toto autem hoc conatu, nullæ species interueniunt.

Obiectio tertia. Responsio.

Obiicies quarto baculus cuius medietas aquis demergatur, licèt rectus sit, iudicatur tamen obliquus, seu fractus ab oculo, sed id fit per species, ergò concedendæ sunt species. Probatur minor, nã hoc non prouenit ab oculo, nec à baculo, qui est rectus, ergò à speciebus, quæ in aquæ superficie à perpendiculari recedunt, ut à perspectiuis explicatur, & ab Euclide suppositione septima de speculis docetur. Respondeo doctrinam Perspectiuorum esse veram;

Obiectio quarta de baculo in aquis obliquo.

Responsio.

tantum hoc sciendum est, id quod refrangitur, & recedit à perpendiculari, non esse speciem, sed radium oculi; radius autem dicit tantum spiritum, & vim visiuam quatenus feruntur ab oculo ad obiectum. Itaq; quicquid tribuitur speciebus, tribuendum est radio ab oculo emisso. Cæterum perstant in suo vigore demonstrationes Perspectiuorum, & optima est illorum ratio, qua causam reddunt, cur baculus hic curuus iudicetur, cum tamen sit rectus. Oculus deniq; videt colorem baculi, alia potentia curuum iudicat.

Radius visiuus quid sit.

Obijcies quinto speculorum experientias, quas irrefragabiles vocant. Nam in speculis videmus res, quæ nobis sunt à tergo, ergo quia illæ aliquid ad speculum mittunt, quod reflectatur ad oculum, per quod potentia attingat obiectum, ad quod ab ipsa linea recta duci non potest, hoc autem non apparet quid sit, nisi species, ergò species omninò concedendæ. Respondeo, radium emissum ab oculo ferri ad speculum, in quo duos facit angulos incidentiæ nimirum, & reflexionis, à quibus linea incidens in speculum denominatur linea incidentiæ, quæ reflectitur dicitur linea reflexionis. Porro angulus incidentiæ semper est æqualis angulo reflexionis, idque tàm in speculis planis, quàm rotundis, aut concauis, vt Theoremate primo demonstrat Euclides libro de speculis. Ergò hic radius in sua reflexione fertur quousque attingat aliquod obiectum, quod per speculum oculo repræsentat. Sic oculus per speculum vim suam reflectendo mittit ad huiusmodi obiecta, illaq; attingit, ad quæ ferri non posset sine speculo, vel alio congeneæ virtutis. Quid hic irrefragabile? quid indissolubile? absurdũ ne putabimus asserere radium hunc visiuum refle-

Obiectio de speculis.

Responsio.

Quomodo p spiritum visiuum, & speculũ videamus quæ sunt nobis à tergo.

Comparatio solis illuminatis, & oculi videntis, ac ignis. Speculū solū cum obiecto non facit imaginē in illo.

cti à speculo, species verò reflecti cōgruum? at quæ disparitas? asserendum autem id est de radio, non de specie, quia species sunt merum figmētum, cum rationes quamplurimæ, experientiæ efficacissimæ conuincant extramissum quid ab oculis, quo fiat visio. Quid? nonnè sol illuminat per lineam rectam, refractam, & reflexam? nonnè ignis eodem modo calefacit? si hæ potentiæ huiusmodi radijs operantur, cur non idem faciat oculus? Itaq; posito quolibet obiecto ante speculum, si nullus oculus in linea reflexionis statuatur, nulla erit in speculo imago; nusquam enim est, quia si esset à quocumque oculo videretur, videtur autem obiectum per radium reflexum; sublato itaq; oculo tollitur radius, tollitur visio, & consequenter, quam imperiti esse in speculo iudicant, imago. Ex hac refractione radiorum visualium prouenit, quod in aliquibus conspicilijs obiecta videntur maiora, quam sint, in alijs alterius figuræ minora, in alijs paria, quæ à Perspectiuis fusè explicantur, ideò ab illis petenda.

Visio fit per extramissionem.

Cum itaq; visio non fiat per species intentionales, restat, vt fiat per extramissionem, quod est probandum. Sit itaque

Duo procedūt ab oculis, quibus fit visio, vel simpliciter, vel exacta.

Secunda conclusio visio fit extramissione. Declaro simpliciter, quod mox probabitur. Ex oculis [& idem fit in multis etiam agentibus naturalibus] duo procedunt: primum est spiritus, nempè visiuus, qui funditur in aërem, & per illum ad obiecta fertur opposita, quo mediante potentia distinctè intuetur, quæ sibi obijciuntur. Secundum est vis quędam visiua, quæ quædam qualitas est ab oculi potentia in medio educta, qua oculus actu vidēs constituitur. Idem proportione quadā in igne contingit. Nāq; ignis calefacit vbi est eius substantia, prętereà calefacit vbi est sola sui vis, quæ calor dicitur, licèt

sui substantiæ nihil ibi sit. Hæc vis ignis dicitur calor, vis oculi innominata adhuc fuit, & est ob Aristotelem, qui eam noluit admittere. Sic oculus mittit extra se spiritum, & vim educit quandam ex potentia medij. Videt exactè vbi est illa spiritus substantia, videt etiam, licèt minùs exactè, vbi vis illa tantum reperitur, quæ diffunditur vsq; ad distantissima loca. Vis hæc inquirenti facultates rerum naturalium facilè innotescet, & cognita lubentissimo animo admittetur. Quid enim est id, quo stellæ polares trahunt magnetem ad se in tanta distantia? non vtiq; substantię propriæ effluxus: sunt enim incorruptibiles. Quomodo gignuntur effectus, qui nec primas, nec secundas, sed tertias qualitates rerum sequuntur? quomodo vnguentum sympaticum vulnera, quæ immediatè non tangit, potest persanare? quomodo remora naues sistit? torpedo piscantis manum stupefacit? quomodo deniq; buffo vrina tali cum terra mixta stimulante fame satiatus, in magna distantia inaudito veneno illum interimit? vt mittam alia sexcenta? hic profectò vis quædam concedenda est, ratione cuius hæ causæ naturales suos edant effectus, nec difficilè id erit concedere assertoribus specierum, cum hæ quid multò difficiliùs, & naturæ minùs congruens, ac proportionatum existant. Spiritum visiuum extra mitti iam iam patebit. Datur itaq; spiritus; & vis. Spiritus est de substantia contentorum in oculo, vis ab oculi facultate proficiscitur, & in medio producitur. Præter hæc requiritur ad visionem lumen quale demum hoc sit, nam externum solum non concurrit ad visionem, sed internum etiam sine illo, vt infra dicendis demonstrabitur. Itaq; hæc concurrunt ad visionem oculus, spiritus, vis visiua, lu-

Vim visi uam dari per similitudinē multarum rerum naturalium probabile.

Dubium est hoc vnguentum, de quo nos alibi.

Nota miraculum physicū.

Necessaria ad visionem.

men,

Oculus men; obiectum. Oculus debet esse benè dispositus, & à natura constitutus. Hanc constitutionem sequitur *Spiritus* spiritus, nam ratione illius multus est, vel paucus, purus, vel impurus, &c. & ratione horum, vel aliquorum, vel omnium multa contingunt vitia, vel his contraria in visione; sic ratione eiusdem *Vis visiua.* dispositionis vis est maior, vel minor, intensior, vel remissior: eandem sequitur lumen internum, nam *Lumen.* vel est simpliciter, vel non est, pro vt dispositio oculi naturalis bona est, vel secus; maius est, vel minus, clarius, vel obscurius eiusdem ratione: Obiectum *Obiectũ.* autem nullam ab his intrinsecam patitur mutationem. Probandum itaq; est dari spiritum, vim, lumen, & ab his, alijs prærequisitis etiam existentibus fieri visionem.

Primum; id est spiritum visiuum, qui ab oculo *Vis visiua probatur primo Auctoritate* extramittatur, dari; probatur primo auctoritate Plut. Alexan. D. Thomæ prima parte quæstione 117. articulo 3. & tertio contra Gent. capite 103. Alb. Ægid. Abul. Ricard. Conimbr. in 7. physic. cap. 2. quæst. prima; art. 4. Pythag. Emped. Hipparch. Plat. Crisip. Medicorum omnium, licèt cauillans id non admittat Delrius lib. 3. disq. magic. parte prima quæstione 3. Nam Galenus, & cum eo anti- *Fascinatio p spiritum visiuũ concedenda.* qui ferè omnes, fascinationem non solum concedunt, sed demonstrant, cum spiritum ab oculo extramitti docent, quo inficiantur, benè, vel malè disponantur quæ facilè intuentis actionem recipere possunt corpora. Quod autem fascinationis nomine non vtantur, vel quod contagio potius, vel infe- *Aristoteles spiritũ ab oculo etramissũ cõcedit, vel nollens.* ctio dicẽda sit, parum refert, ad grammaticos enim quæstiones de nominibus relegandæ. Imò spiritus istos, vel nollens Aristoteles cogitur admittere sect. 31. problematum numero 4. 11. 20. 21. & 16. vbi

aper-

aperte radium ab oculo prodire ait. Equidem rerum naturalium quamplurimarũ causæ reddi non possunt his spiritibus non admissis, vt euidentissimè constabit. Admittunt autem citati auctores spiritus quosdam ab oculo exeuntes, licet eorum quidam velint per species fieri visionem, quod supra est à nobis confutatum. Idem verò secundo probatur ratione, quia Plut. in sympos. docet quosdam fuisse homines, qui visu pueris maximè nocerent, at id fiebat per spiritus ab oculis exeũtes, ergò dantur huiusmodi spiritus. Lædebantur autem pueri, quippe qui aptiores essent ad quoduis damnum excipiendum, cum robustiores lædi difficiliùs possint, vt ideò intensior vis malefica requiratur, qualis etiam erat quorumdam habitantium circa Pontum, quos Thybes appellabant ex eodem, quorum aspectus adeò perniciosus erat, vt tabescerent, qui eorum aspectum exciperent. Id autem qui potuit fieri nisi à spiritibus, ab oculis extramissis? hic enim est Genius naturæ, vt vnam rem nunquam ferè ad vnum tantum finem efficiat, sed pluribus inseruire velit, ad conditoris omnipotentiam demonstrandam. Sic primario instituit spiritum ad visionem edendam, qui tamen vt corpus quoddam est ex quatuor elementis compactum licet æthereum, & purissimum, alias etiam vires sortitus est actiuas, quibus, vel benè, vel in deterius eos, ad quos peruenerit, potest disponere, cum tamen idem non faciat in subiecto à quo prodit, vt alibi est à nobis demonstratum. Quod si tactus hominis peculiares vires habere potest, vel ad sanitatem efficiendam, vel ad morbos inuehendos, vt alio in loco dictum est, cur idem non poterit efficere hic spiritus, cum præsertim ob naturæ tenuitatem, ef-

Spiritus visiuus ratione cõuincitur, secundo.

Pueri aspectu facilè læduntur, grandiores difficilè.

Pauca ad vnum tãtum finem creata.

Spiritus visiuus quomodò lædat in fascinatione.

Facultas spiritus visiui per analogiã probatur.

Plutarchi rationibus adstruitur spiritus visiuus.

Mutuus aspectus quomodo fit causa amoris.

Morbus regius cõspectu Galguli quomodo curetur.

Lippus sanum aspectu lippitudine cõtaminat.

Huius rei causa ex Alexandro.

sentiam igneam, & à crassiore materia liberam, & eleuatam, quemlibet effectum citiùs, & efficaciùs possit edere: id autem difficilè non esse, ibidem pluribus probat Plutarchus; effluxus nimirum dari in omnibus ferè corporibus, idq; imprimis in oculis fieri, cum visus multiplicem habeat motum, in quo eiaculari par est eundem spiritum, & ex hoc vires, quas habet mirificas disseminare. Sic visus amoris principium, præsertim in mutuis aspectibus rerum formosarum, quibus diffluunt, ac penè colliquescunt intuentes receptis mutuò spiritibus in oculis, affecta indè principe animi sede, ac inflammata, nõ secus, ac Medorum Naphta ex interuallo igne inflammatur. Prætereà morbo regio correpti si aspiciant Galgulum auem [hianticula vocatur ab alijs, vel rupiculus, & hianticila] ei ex aspectu mutuo morbum communicant, deferentibus spiritibus ab oculis emissis humorem biliosum, non secus, ac rhabarbarum eundem morbum persanat eodem humore per aliam tamen regionem vacuato. In quo peculiaris sit proprietas in passo necesse est, cum in hac fiat id aue, non in reliquis. Ad hæc si lippus oculis sanum intueatur; sano lippitudinem communicat, ergò per spiritus ab oculis exeuntes. Qui enim id fiat? huius rei causam in problematis Alexander inuestigat, cur enim lippus sanum lippitudine afficiat, sanus verò lippum haudquaquam sanum faciat? cui dubitationi sic respondet: quia oculi humecti sunt, & molles, atq; affectibus expositi. Tum quia sanitas ex habitudine modica, vitium ex immodica accidit. Quod igitur modicum est, faciliùs ab immodico mutatur, ac vertitur, quã contra. Ergò & lippitudo, quæ immodica quædam habitudo est, facilè sanitatem, vt pptè modi-

cam

cam demutat? Fit autem mutatio naturali corporum inter se consensu. Ita Alexander. Ex quibus propositum constat, & ab oculis spiritum efficacem emitti fit euidens. Insuper basiliscum tradunt per oculos venenum eiaculari. Deinde circumfusus aer in interna inspirando attractus internorum nostrorum qualitatem contrahit, ibi pars illius cum spiritu miscetur, & ex impuræ rei mixtione maleficum etiam fieri necesse est, vt & halitum, quo idem aer per nares, & os redditur. His de causis aspectus ex naturali vi nocere potest, vt & phtisicorum halitus illum excipientes inficit, paremq; pestem communicat, ita docentibus medicis omnibus, & experientia confirmante. Adde quod mulieres menstruatæ specula solo visu contaminant, ergò negari non potest aliquid extramitti ab oculis. Lupi videndo visi vocem hebetant, idque aliquando contingit ijs, qui lupum non viderunt, ne ad timorem ex lupo viso consurgentem causam referas. Fit enim ex eo, quod exsiccentur visi spiritus radijs visualibus ab oculis lupi ad eundem visum transmissis cum viris doctis. Hæc enim est vis peculiaris luporum. Porrò species intentionales nullam vim actiuam sortitæ sunt, illa excepta, quod ad visionem dicantur concurrere; hi ergò effectus aliam causam sequuntur; nempè spiritus visiuos, quorum multiplices vires agnoscimus ad visionem, & alios mirificos effectus edendos. Peculiari autem conditione malefica insignitos spiritus fuisse multorum ex antiquis historiarũ monumentis didicimus, idemq; contingere in fœminis, quarum in oculis pupillæ duæ cernantur, si præsertim sint vetulæ, Plinius docuit libro septimo nat. histor. cap. 2. Porrò ab oculis aliquid simpliciter extramitti, & per hoc benè

Basiliscus conuincit spiritum ab oculis extra missum.

Causa cur halitus noceat.

Experiẽtia menstruatarum arguit quid ab oculis extramitti.

Lupus visi vocẽ cur hebetet.

Spiritū ab oculis admittit Sanctus Thomas.

vel malè affici eorum corpora, ad quos illud perueniat, vt ethnicos omittam auctores; lumen omnis scientiæ D. Thomas Aquinas expreßè docuit prima parte quæst. 117. art. 3. ad secundum his verbis: Fascinationis causam assignauit Auicenna ex hoc, quod materia corporalis nata est obedire spirituali substantiæ magis, quam contrarijs agentibus in natura. Et ideò quando anima fuerit fortis in imaginatione, corporalis materia immutatur secundum eam. Et hanc dicit esse causam oculi fascinantis. Sed supra ostensum est, quod materia corporalis non obedit substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli creatori. Et ideò melius dicendum est, quod ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corporis coniuncti. Quæ quidem immutatio spirituum maximè fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt. Oculis autem inficiunt aerem continuum vsque ad determinatum spatium. Per quem modum specula, si fuerint noua, & pura contrahunt quandam impuritatem ex aspectu mulieris menstruatæ, vt Aristoteles dicit in libro de somno, & vigilia. Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maximè in vetulis contingit, efficitur secundum modum prædictum aspectus eius venenosus, & noxius: & maximè pueris, qui habent corpus tenerum, & de facili receptiuum impressionis. Hæc loco citato S. Thomas, ex quibus apertissimum est hunc spiritum visiuum ab oculis extramissum negari non posse: & cum idem spiritus ad visionem sufficere possit, quid est, quòd alia entia commentitia in rerum natura frustra inuehantur? Huc referri commodè possent multa à nobis allata vbi causas multarum rerum naturaliū prosequuti sumus,

Fascinationis causa ex Auicēna

Fascinationis causa iuxta D. Thomā.

Coitum cum vetulis hac vel pari ratione esse venenosū docet Ioannes Cratocum alijs Medicis.

quæ à nobis hic non repetuntur, indè enim cōmodè ea lector petere poterit. Quanquā fortaſſe magis naturalis cauſa faſcinationis à nobis in antedictis eſt aſſignata. Idem etiam confirmat Plato, qui in Thimæo ita philoſophatur: cum vis ignea ſpiritus ex oculis ſemper ad obiecta effundatur, ſi continua eſſet hæc effuſio, nimium anima diſſiparetur, cuius inſtrumentum eſt hic ſpiritus: itaque prouidè natura palpebrarum tegmina oculis machinata eſt, quibus obductis, ignis hæc effuſio coerceretur, indeq; animus quieſceret, & fatigatus confirmaretur; ergò à fine, quo tegmina palpebrarum oculis fabrefecit natura, colligitur euidenter dari ſpiritum viſiuum.

Faſcinationis verior cauſa.

Ratio Platonis pro ſpiritu viſiuo.

Tertio Galen. ita argumētatur 7. de Hipp. & Plat. decretis cap. 5. hoc viſus differt à guſtu, quod guſtus non ſentit, niſi quod illi offertur ſenſibile, viſus verò per medium aerem ad coloratū, per ſpiritum porrigitur; hinc eſt, quod oculus percipit non tantum colorem, ſed etiam diſtantiam, formam, magnitudinem, & ſitum corporis colorati, nullo alio ſenſu id valente; quia enim odoratus effumationem expectat corporis odorati ad ſe delatam, vt ſentiat; auditus motum aeris ex corpore ſonum efficiente; guſtus contactum ſaporis ſapidi; tactus denique primarum qualitatum immediatum contactum; Oculus per igneum, æthereumque ſpiritum ad obiecta ſolus fertur, quare eius plura, quam alius quiuis ſenſus, poteſt percipere, nec enim obiectum cum quantitate propria potentiam, ſiue per ſe, ſiue per aliud ſubire poteſt, & tamen hæc à potentia attinguntur. Cap. 7. Idem ſic argumentatur; qualis eſt neruus ad tactiles qualitates percipiendas, talis eſt aer ad res viſiles cernendas, ſed

Tertia ratio Galeni pro eodem viſiuo ſpiritu.

Differentia notandà inter potentiā viſiuā, & alias ſenſitiuas.

Alia ratio Galeni.

neruus defert ad particulares partes, in quas propagatur à cerebro; spiritum animalem ad sensationem necessarium, ergò & aer defert ad obiecta visibilia spiritus visiuos ad visionem obiectorum necessarios. Si dicas ab obiectis per aerem ad oculos species promanare, & alterationem ab obiectis in partibus factam per neruum ad cerebrum principalem animæ partem distribui, contra insurgit Galenus, quia si verum id esset, in solo cerebro fieret sensatio, nec vllus esset sensus doloris in parte, quæ vel cæderetur vel confringeretur, vel adureretur, aut aliud quid simile pateretur, quod est absurdum ergò in ea erit sensus per spiritum à cerebro per neruum ad eandem delatum, & pari ratione fiet visio obiecti per spiritum, vel vim visiuam ab oculis manantem. Hoc fusius explicat, & probabilius reddit lib. eodem cap. 5. vbi cum dixisset aerem circumfusum tale instrumentum nobis esse, quo tempore videmus, quale est neruus in corpore, addit eodem modo aerem à spiritu visiuo affici quo splẽdore solis afficitur. Nam sicut in instanti vi solis subiectus aer illuminatur, à quo ad ipsum solem linea recta duci potest, ita & spiritus, ac vis præsertim visiua quasi spirituali quadam substantia repente in aerem diffunditur, si quid solidum soli opponatur, interceptus aer confestim fulgore destituitur, non tamen si corpus oppositum sit diaphanum, idemque contingit in oculo, inter quem, & obiectum interposito corpore solido, visio impeditur quod aditus spiritibus, virtutiq; visiuę intercludatur. Ita etiam fit in neruis, illis enim præcisis, tota ea pars, quæ à continuitate cerebri per sectionem fuerit separata, illico stupida efficitur, quod via spiritibus, animalibus, sit impedita ad partes peculiares,

Obiectio.

Solutio.

Egregia cõparatio Galeni inter oculũ videntẽ, & solẽ illuminantẽ.

Eadẽ similitudo aptat̃ neruis mẽbra per spiritus ẽ neruis mouentibus.

quæ

quæ sentire, moueriq; non possunt illis destitutæ. Sed considera radiorum solis refractionem, & reflexionem; & pares rationes in radijs visualibus reperies. Radij solis refracti, etiam illuminant, vt & reflexi; quod de se patet, ita etiam visio fit per radios refractos; quod in medijs diuersæ rationis videre licèt, quo casu videtur obiectum, ad quod ab oculo linea recta duci non potest. Fit etiam visio per radios reflexos, vt in speculis contingit, modo explicato in eo argumento, quod aduersariorum Achilles esse videtur. Sed iam ad Galenum redeo, qui hanc similitudinem radiorum visualium cum radijs solaribus, & vi animali à cerebro per neruos determinatis corporis partibus communicata; extendit ad arteriarum motum, quæ cum habeant tunicas cum cordis corpore connexas, ab eo vim influentem indesinenter accipiunt, qua mouentur. Itaq; ipsæ incisæ, vel laqueo interclusæ, pulsu omni, micationeq; orbantur, non secùs, ac nerui respectu facultatis cerebri, & aeris illuminati respectu solis; & eiusdem tamquam susceptiui facultatis visiuę respectu oculorum. Vide quæso quam naturalis sit modus hic philosophandi, quam rerum naturis, ac motibus conueniens. Sed tamen ab Aristotelico liuore longè distans, ideoq; longè verior.

Sol illuminat p. radios refractos, & reflexos, & visio etiam paribus fit radijs visualibus. Radij visuales, & solares comparatur faculati vitali arteriarum.

Quarto prætereà eodem cap. 5. Galenus ex proprietatibus nerui visus, seu optici colligit visum fieri per huiusmodi spiritum; qui maxima copia per eũ fertur ad oculos è cerebro. Nam neruus ille, præter aliorum formam, patenti foramine est traiectus; deinde mollis est, magnitudine insignis, vbi ad oculos peruenit in eos subit ad defferendum in eos spiritum: eiusq; interior pars, quà spiritus ducitur, mollior est, durior exterior, per ipsum multa spiritalis

Quarta ratio. Proprietates nerui optici examinãtur.

substantia de cerebro ad oculorum sedes deuehitur, ita vt in nullo instrumento, neq; in cerebri ventriculis tanta animalis spiritus copia, quanta in oculis contineatur. Hic autem spiritus cur maiore copia fertur in oculos, quam in alias partes? non equidem ad nutritionem, nam oculi substantia non ita est dissolubilis, vt continenter tam magno indigeat nutrimento in locum substantiæ deperditæ reponendo: non ad suam actionem obeundam, nam eadem esset ratio in alijs omnibus corporis partibus; restat igitur, vt deferantur hi spiritus ad hoc, vt mittantur ad externa obiecta, ad perfectam visionem efficiendam.

Cur in oculos maior copia spirituũ feratur, quã in alias partes.

Quinta ratio.

Cur si quid ingressum sit in vnũ oculũ, ab eo expellatur altero clauso.

Quintò probatur euidentius adhuc dari huiusmodi spiritus ab oculis extra cum sensibili impetu exeuntes. Nam si quid pusillum in oculum nostrũ feratur, occluso altero foras statim depellitur; sed hoc fit per maiorem spirituum impetum; qui cum antea per vtrunque oculum exilirent, postmodùm per vnum tantum qua data porta proruunt, secumque obiecta leuiuscula protrudunt impellendo, ergò omninò hic spiritus est concedendus. Sexto sensibili demonstratione id probatur: quibuscumque cataracta, idest suffusione laborantibus altero oculo clauso, oculi affecti pupilla maior redditur, ij sani fiunt, visumque recipiunt suffusione deposita; quibus verò secus accidit; frustra illa per acum deponitur; ergò ex hoc patet visionem fieri per spiritum. Probatur consequentia ex modo, quo id fit, quem egregiè Galenus explicat libro citato capite quarto his verbis: Vnde spiritum quendam per hos meatus [loquitur de foramine nerui optici] ad oculos transuehi cum fabrica ipsa docere te potest, tum hoc argumento percipies. Videbis:

Ratio sexta.

Cur cataractã laborantes, per acum, curari possint, si sano oculo clauso, pupilla affecti fiat maior.

enim si claudatur alter oculus, alterius pupillā dilatari: si aperiatur, in naturalem suam magnitudinem redire. Atqui palam est necesse esse, vt cum acinosa tunica ab aliqua substantia distenditur interiore parte eius repleta in foramine pupillæ laxetur: atq; hoc nullo alio præterea modo accidere possit. Neque illud dubium tam velocem exinanitionem, & repletionem non ab humore aliquo, sed à spiritali sola influente substantia effici. Quoniam autem vtriq; hi meatus in vnum concurrunt, quod ex dissectione euidenter patet, verisimile est communem eum locum, vbi vtrorumq; coitio est, susceptum spiritum, dum alter oculus conniuet, ad alterum totum transmittere. Cui rei id vel maximè attestatur, quod in suffusis videmus: quibus si altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius apparet, indicat saluam adhuc inspiciendi facultatem esse: si nihil huiusce modi contingit, penitùs interijsse: ac propterea ij etiam si benè deducta fuerit suffusio, nihilo secius vident. Nonnulli verò sunt, qui sine suffusione quoq; non vident, in quibus scilicet obducta altera palpebra, pupillam eandem orbis, quā prius habebat, seruare magnitudinem cernimus, eo quod nulla amplius spiritalis substantia, ad oculos descendit, qua acinalis tunica intrinsecus repleta distendi consueuit. Vnde non immeritò visiuorum neruorum meatus in his obstructos esse à multis præclaris medicis dictum animaduerti. Hæc Galenus, quibus subdit se nouisse quendam qui simili morbo affectus dicebat, se antequam morbum contraheret, in somnis apertis oculis solitum fuisse magnam lucem videre, quod tamèn fieri indè sensim desijt, quoad videndi sensus penitus interierit; ex quo patet visionem fieri per hos spiritus, quibus

Septima ratio. Antiphō sui imaginem in præuio aere videbat. Ratio huius euentus ex Philosopho, ex qua conuincitur spiritus visiuus extramiss ad visionem. Obiectio soluitur. Andreę Laurētij explicatio propositi euentus. Repræhēsio Andręę Laurentij.

præsentibus visio fit, abeuntibus verò deperditur. Septimo Antiphon, vel Antipheron quidam Orctanus fertur, qui quacumq; incederet, sibi ipsi occurrere semper videbatur, se seq; in aere præuio, quasi in speculo intueri, & visus imbecillitate laborabat. Symptomatis huius causam ita reddit Aristoteles capite 4. libri 3. metheororum; quia, inquit, oculorum acies in illum ipsum reflectebatur: quandoquidē ex morbo sic imbecilla; & omninò tennis erat, vt proximum aerem expellere non posset. Ergò per Aristotelem visio fit per huiusmodi spiritus visiuos. Probatur consequentia quia hi spiritus per Philosophum ab aere circumfuso reflectebantur, quod imbecilles essent, nec vlterius possent penetrare, ergò procedunt ab oculo, & in reflexione, vt fit in speculis, visionem efficiunt. Dices id quod reflectebatur fuisse species, vt fit in speculis. Sed contra est, quia Aristoteles ait [oculorum acies in illum ipsum reflectebatur] acies autem oculorum non est species. Andreas Laurentius vir eloquentissimus, & doctissimus docet Antiphonta fuisse stultum; non ergò in oculis, sed in cerebro vitium fuisse. Sed hæc responsio non est ex Aristotelis historia, qui hac in re, vt alibi in problematis omninò cogitur in sententiam Platonis concedere; qua ratio tam rari symptomatis egregiè redditur, vt sui oblitus Aristoteles doctissimè præstitit loco citato. Videat ergò Laurentius, & cum eo Platonis paulò inquiores æmuli, qui possint hæc in Aristotelis doctrina inuicem conuenire: visio fit per receptionem speciernm intentionalium ab obiectis procedentium: aer est medium, in quo species intentionales subiectantur: aer non videtur, quia sui speciem repræsentantem non efformat, sed aliorum

obie-

obiectorum recipit: Antiphon se videbat, quod oculorum illius acies imbecilla ex proximo aere, quem expellere non poterat, reflecteretur in oculos eosdem; videat inquam num cohęreant hę propositiones. Nimirum mendacem oportere esse memorem, cautè præceptum est. Octauò, cur vt acutiùs videamus coangustamus pupillam? an non vt radij, & visiui spiritus egredientes magis vniantur? ergò visiui spiritus nullo modo poterunt denegari. His verbis hoc argumentum propositum ab eodem Andrea Laurentio sic dissoluitur; Pupillam angustamus, ne ab externo lumine interni spiritus dissipentur. Hæc ne, Laurenti, est Aristotelis propositæ difficultatis enodatio? qui dicis te Galeno præceptori fauere, ob vtilititatem tamen,& veritatem malle cum Aristotele sentire, qui nec radium, nec lumen, nec spiritum ab oculis ad rem visilem emissum, qui visioni inseruiat, vt ais agnoscit, cur paulò diligentiùs Aristotelis scripta non lectitabas? si vincere vtilitatem aptas: nonnè vides, quã egregiè ex praxi medica Platonis opinio confirmetur: quàm aptè curationes morborum, de quibus iam iam disputabimus, congruant Platonicis doctrinis, Peripateticorum sententias refellant? sed veritatem & Aristotelem sequutus, cur illius rationes difficultatis propositæ causas reddentes non attulisti? sed eas accipe totidem verbis, quot ipse reddidit problematum sectione 31 num. 15. 16. placet enim hic annectere: Cur homines luscij cognominati, qui obtusè vident, litteras scribere minutissimas possint, cum rem minutam perspicere illi valeant, qui acumine oculorum præstant? An quia conspectu sunt imbecilli, palpebras contrahant in angustum cum enim radiùs profluit vniuersus [qui radius ab

Octaua ratio. Cur angustando pupillã videamus acutius.

Solutio Andreæ Laurētij, & illius confutatio.

Cur luscij minutas litteras scribant.

oculis profluit, nonne est spiritus?] acutius explorare potest: contra laxo, diductoq; oculo, diffunditur, ob eamq; rem hebetescit. Ergò imbecillitas facit, vt palpebras contrahant in angustum, quod cum ex angusto inspiciant, exiguam magnitudinem videant, quantaq; vident, tanta præscribant necesse est. Sed cur ijdē illi contractis palpebris videant? An propter sui conspectus imbecillitatem? vt enim manum rebus sepositis admouent, sic palpebras. Iuxta positis perinde quasi manum adijciunt. Quod sanè faciunt, vt radius per locum se se depromens angustiorem, cōgestior profluat [ergò spiritus prodit ab oculo, qui fit angustior, vt magis spiritus vniatur] ne protinus ex patulo proficiscens distrahatur. Videt autem is acutius, qui frequentior, collectiorque prodierit. Hæc Aristoteles: quibus quid apertius poterat Platonis discipulus ad Magistri mētem explicare? nonne spiritum prodire docet? nonne spiritum collectum acutius videre tradit? Nonò ex maiore pupillæ dilatatione obtusior sequitur visio, quia spiritus minus vniti prodeunt ad visionem efficiendam: si autem receptione speciei visio fieret, hoc in casu exactior visio sequeretur, quia melius, & commodius species reciperentur, & maiorem angulum in oculo efficerent, sub quo visio esset exactior, ergò non per speciem, sed per spiritum visiuum fit visio. Decimò. Qui amori, luxuriæque nimium dediti sunt, obtusiorem oculorum aciem habent, cuius rei causa hæc est: quòd amando præsertim coeundo cum femine plurimùm spiritus vitalis effunditur, ex vitali animalis generatur, vtroq; visio fit, cum autem coitu vtriq; materia subtrahatur, visio, quæ ab illis fit, lædatur necesse est. Id non contingeret, si visio fieret per species intentionales.

Cur ijdē cōtractis palpebris videant.

Spiritū videre ait Aristoteles.

Nona ratio. Dilatatio pupillæ facit visionē obtusiorē, & cur id fiat.

Decima ratio.

Luxuriosi cur obtusam habeāt vim visiuam. Coitu maximè oculi debilitantur.

Quod autem ob coitum oculi patiantur ex eo, patet, quòd oculis in varias partes agitatis, sperma emittere non potes: deinde quia coactis oculis humores suos cerebrum in coitu demittit: denique id confirmatur ex eo, quod mulieres fœcunditatem, & sterilitatem illinimentis circa oculos experiuntur, quæ omnia docuit Aristoteles 2. problematum sectione quarta, & explicauit libro secundo de generatione animalium tradēs id fieri illitu circa oculos, puta croco aqua, vel vino albo soluto, si enim saliuam coloret, vel odore afficiat, signum erit fœcunditatis, cum meatus corporis, per quos excrementum decedit, non confusos, nec obseptos, aut obcæcatos significet, sin secus sterilitatis. Qua propter infert philosophus eodem loco oculorum sedem maximè omnium locorum capitis esse seminalem; licèt enim per coitum cerebrum, & quæ ab illo deriuantur, reddantur imbecilla, id tamen potissimum in oculis contingit, vt docet Petrus de Apono coment. in problem. 58. sectionis 10. Ad quorum confirmationem addo, quòd doctissimi Medicorum ægros imbecilles, qui dormire non possunt, lecto iubent quiescere clausis oculis; quod ideo faciunt, quia apertis oculis spiritalis substantiæ multum effunditur, qua corpus valdè redditur imbecillum, quod non fieret, nisi visiuus spiritus ab oculis extramitteretur, imbecillitatis futuræ causa. Vndecimò si visio fieret per species, non per spiritus, sequeretur nos lucidissima, meliùs, & commodiùs visuros, vt Solem, sed hoc nō fit, ergò &c. Probatur sequela maioris, quia essent omnia requisita ad exactam visionem, idest potentia, obiectum, species, lumen. Videre autem lucida valdè non possumus, quia lumen intensius spiritus visiuos extra-

Fœcunditas, & sterilitas quomodo probetur illitu circā oculos, & rei huius ratio.

Vndecima ratio.

Valde luminosa corpora cur oculi nostri videre non possint.

missos plùs æquo disgregat, vniti autem visionem efficiunt exactam. Itaq; tunc necesse esset, vt potentia alios, atq; alios spiritus subministraret, tot nimirum, quot satis esse possent ad vincēdam lucem, ne ab ea videndo læderentur, aut disgregarentur. Hoc in conflictu omnia tentat prouidissima natura, & quot potest spiritus sufficit, donec fatigata plùs iusto potentia fundit lachrymas, quas pro spiritibus porrigit, vt saliuam porrigit videnti socium acria poma comedentem, cum poma ipsa elargiri non possit, & plùs æquo Veneris studijs addicto sanguinem subministrat, cum semen elaboratum amplius non possit concedere. Duodecimò, si visio per species fieret, non spiritus, non posset reddi ratio, quorundam morborum, qui in visione contingunt, nec eorum legitima curatio institui, ergò est admittenda Platonis opinio. Antecedens probatur primò: nàm in nocturna cæcitate (Nyctalopiam Græci vocant) æger die quidam obiecta visibilia videt, vespere minùs videt, noctu verò penitùs non videt; sed huius rei ratio reddi non potest per species intentionales, cum spirituum qualitatem, & conditionem sequatur, ergò per spiritus fit visio. Maior patet consensu omnium medicorum quotquot fuerunt, cum Aetio tetr. 2. serm. 3. cap. 46. vbi ait: Nyctalopas vocant, qui die quidem vident, occidente verò sole obscuriùs, deinde noctu penitus nihil cernunt. Sed hæc sunt ita nota, vt probatione non egeāt. Minor probatur, quia species tàm transmittuntur die, & vespere, quàm nocte, ergò absolutè loquendo obiectum debet ab oculo videri, & die, & nocte; non dico ita exactè videri debere obiectum die, ac nocte, nam requiritur tanta lucis proportio, qua oculus cum spiritu visiuo temperamen

Duodecima ratio.

Nyctalopiæ ratio reddi non potest positis speciebus intentionalibus.

ti medij meliùs videbit die, quam nocte, tamen nocte non erit oculus omninò non videns, vt Nyctalopis contingit, sed obscuriùs tantùm videbit, neq; enim noctu omninò luce spoliatur aer. Cum autem noctu hi penitùs nihil videant, ponentur omnia requisita ad visionem, idest potentia, obiectum, lumen in medio, & tamen visio non fiet; quod est absurdum. Dicet fortasse Peripateticorum aliquis Academicorum hostis infensissimus non sufficere tantulum illud lumen, quod est in aere nocturno, ad visionem, sed maius requiri, eo autem posito futurum, vt qui priùs non videbat oculus, obiecta exactè discernat. Sed hæc responsio nullius est momenti, eamq; manifesta repellit experientia. Nam alij sunt, qui affectu Nyctalopiæ contrario laborãt, [Antinyctalopiam appellabo, neq; enim adhuc illi à Medicis factum est nomen] qui nimirum noctu satis benè vident, die deteriùs, & increscente morbo nihil ferè, aut omninò nihil illo valdè adaucto, quod omnium medicinam facientium experientia comprobatur. Hic quæso mecum rem hanc paulò diligentiùs perpendas. Cum illis speciebus tuis intentionalibus, noctu hic oculus videt, ergò & ille, si consequentiam neges, & in oculum causam referas, iam mecum sentias necesse est, & in spiritum visiuum causam conferas, vt iam iam faciam. Sed antequam hoc explico, alia ratione eandem minorem probabo Myopia morbus est ex Aetio loco citato cap. 45. quo qui laborant parua quidem propè vident, magna verò procul videre non possunt, quare litteras propè admotis oculis solent perlegere. Reddat mihi specierum patronus huius rei causam, per illas suas receptiones specierum, equidem nullo modo poterit. Conanti tamen sic inquio: ita

Obiectio peripatetica.

Solutio illius.

Antinyctalopia qualis morbus.

Myopia qualis morbus.

Ratio ex supradictis pro spiritu visiuo contra species intentionales.

se habet ad oculum obiectum paruum propinquũ, sicut obiectum magnum distantius, sed illud videtur ab oculo, ergò & istud. Totum argumentum ex eo patet, quòd obiectum magnum distantius parem in oculo angulum efficiet angulo obiecti parui propinquioris, vt ijs, qui res perspectiuas, vel de lumine salutarunt, innotescit: cur ergò propinquum videatur, non distantius: neq; verò hic loquimur de pari modo exacta visione, sed de visione simpliciter, nam obiectum magis distantius non videtur in hoc morbo obscuriùs, sed simpliciter non videtur. Maneat ergò cum speciebus horum morborũ causas reddi non posse, admissis visiuis spiritibus, quibus visio fiat omnia posse commodè explicari sublatis speciebus. Veram esse hanc doctrinam confirmat curandi ratio, quâ directa ad hos spiritus illustrandos, attenuandos, incrassandos, depurandos, vel augendos, aut minuendos prout requirit affectus, statim tollitur morbus, quod non fieret, nisi morbi hi spirituum vitia sequerentur, tanquam effectus suas causas, quibus vel sublatis, vel castigatis ex artis præscriptis effectus ipsi, nẽpè morbi, dispereunt. In Nyctalope diu vides, vespere minùs, noctu nihil. Dico id prouenire à spiritu plùs æquo crasso, qui ob crassitiem oculum noctu sufficienter illustrare non potest, quare noctu nihil videtur, cũ aliqua lux ad visionem requiratur. Adde quòd nocturnis tenebris effusus ab oculis spiritus magis, ac magis refrigeratur, indè densatur, ac proindè minùs perspicuus fit, quare oculus videre non potest omninò: die verò splendore solis attenuatur, externa luce oculus illustratur, & medium, hinc visio: vespere quia omnia media reperiuntur, visio nec exacta est, nec penitus abolettur, sed obscurior tan-

Nyctalopiæ ratio euidens redditur per spiritus visiuos.

tum elicitur. Hoc verò ita esse, certò certiùs ex medica praxi discimus; hoc enim affectu laborantes attenuatione crassi spiritus persanantur. En causam naturalem, nullis ambagibus sophismatum inuolutam, nullis mendaciorum fucis velatam, sed vndique veritatis luce circumfusam. Sed pergamus aliorum morborum causas exponere. In Antinyctalopia die nihil, vel obscurè videas, noctu satis benè. Dico hoc prouenire a visiuo spiritu valdè lucido, sed nimium tenui. Spiritus valdè lucidus noctu etiam sufficienter oculum, & medium illuminat, vt in fellibus contingit, equis, alijsq; animalibus & de Tiberio historiarum refferunt monumenta; itaq; ex hoc capite non est, quod non fiat visio nocte, cum spiritus splendor officium suppleat externi solis splendoris. Sed quia hic spiritus nimium est tenuis, hinc fit, vt die videri obiecta non possint, dissoluto, dissipato, resoluto, vel quàm maximè disgregato spiritu solis splendore, cum secus nocte contingat: qui enim nimium tenuis erat die, noctis tenebris tantillum refrigeratur, cogitur, ac densatur, vt sufficere possit ad aerem penetrandum. Curatio soluens morbum docet medicos in cognitione causarum illius non aberrare; tantum enim aberramus à vera curatione morbi, quantum ab illius cognitione exorbitamus. Nam spiritus incrassatione sola curantur ægri. In Myopia parua propinqua videmus, maiora distantia videre non possumus. Vnde hoc? nimirum in causa est spiritus visiuus paucus, & tenuis, idest purus. Ex eo enim, quòd paucus est, propinqua, licèt exigua ad quæ peruenit, facilè potest exactè percipere hi curantur augendo spiritum, illumq; tantillum incrassando. His ita explicatis, aliorum quorumdam, quæ circa-

Rationis cõfirmatio ex praxi medica.

Antinyctalopiæ reddita causa per spiritus.

Rationis cõfirmatio ex praxi medica.

Myopiæ ratio, eiusq; confirmatio ex praxi.

visionē contingunt, & affinia valdè sunt explicatis, causas reddamus, vt euidentiùs omnibus innotescat, visionem fieri per extramissionem, & species intentionales merum esse figmentum, & contradicendi studij genuinam sobolem.

Ratio cur cum pauca luce legentes propè benè, longè verò obtusè videāt

Cur ij, qui cum exigua luce litteras possunt legere propè quidem exactissimè vident, distantiora vident quidem, sed obtusiùs? An quia spiritum habent non valdè multum, licèt non omninò paucum, sed tamèn lucidum, ac tenuem? quia enim spiritus est lucidus, magno non indiget lumine ad videndum, quia tenuis longissimè videre nō possunt, cum aerē non possit huiusmodi spiritus multum superare, ac findere; quia lucidus, ac tenuis, propè vident exactè; quia nō omninò paucus est, distantiora vident valdè obscurè. Hi curātur incrassato modicè spiritu, auctoque. Talis omninò sum ego.

Ratio cur senes paululū distita videant, cum vicina videre non possint.

Cur senes obiecta oculis admota communiter videre non possunt, sed si manu distenta ab oculis paululum abducant ea, benè conspiciunt? An quia senes spiritus habent crassos, quare cum spiritibus propè oculos seruantibus suam crassitiem, ad quā opacitas magna sequitur, visio fieri nequit; qui si longiùs procedant, magisq; ab oculis recedant, externo lumine magis illustrantur, eodem, motuq; magis tenuantur, quare cum iisdem in maiore distantia commodè vident senes? eadem ratione senes multo egent lumine, & specillis, quæ spiritus, & tenuare solent, & illustrare, quare quibus specillis crassus, & tenebrosus senis spiritus attenuatur, & illustratur, & ad visionem commodus redditur, iuuenis spiritus lucidus, & tenuis magis illustratur, tenuatur, ita vt plus iustò dissipetur, quare illius visio impeditur. Hinc diuersis ætatibus eadem inepta

Senes cur egeāt specillis, vt videāt

Cur specilla senum noceant iuuenibus.

spe-

specularia. Ex his conijcere quisq; potest quàm apta sit solutio Aristot. probl.26. sect. 31. vbi quærit quam ob causam, cum & senex, & lucius per imbecillitatem parum oculis valeant, alter proximè admouet, si quid inspicere vult alter procul abducit. Horum solutio, ex dictis, & dicendis apertissimè innotescet interim vide Aristotelem, si lubet.

Auerroes 3. colliget cap. 38. explicans causam, cur aliqui propinqua non videant, cum tamen cernant remota docet causam esse in oculorum imbecillitatem referendam: quod ideò hoc fiat, sic probat primò; quia potentia visiua debilis non potest in actum secundum exire sine multa luce, sed tanta lux in paruo spatio esse nō potest, ergò obiecta propinqua oculus debilis non videbit, qui tamèn remotiora conspiciet. Secundò, quia nimia est impressio, quā debilis oculus recipit ab obiecto propinquo, ergò læsus debilis oculus à tali actione obiecti propinqui, illud non videbit, videbit verò remotius, à quo vim sibi non inferri maior distantia efficit. Deindè refert opinionem illorum, qui referunt huius symptomatis causam in crassitiem spiritus visiui modo superiùs à nobis explicato, eamq; opinionem confutat hac ratione, quia oculus, qui videt remota, non propinqua, indiget magna impressione ad hoc, vt videat, sed hæc magna impressio fit à multa luce multi medij, quod esse non potest inter oculum, & obiectum vicinum, ergò obiectum vicinum non poterit facere magnam impressionem in oculum debilem; & consequenter videre non poterit, vt remotius. Et subdit hos viros habere oculos eminentes, & visum sparsum. Sed hæc ratio philosophandi mihi non placet, quia obiectum nullam facit impressionem

Auerroes explicati problematis causā refert in oculi imbecillitatem.

Ratio prima.

Ratio secunda.

Ratio qua Auerroes confutat auctoris explicatione allatam dicti problematis

Auerroes reprehēditur ratio ne demō ſtratiua auctoris. A. B. C. A. E. F.

in oculum niſi per ſpecies, ſed obiectum viciniùs fortiùs imprimet, quàm remotios, ergò, & meliùs videbitur obiectum propinquius, quàm remotius, quod eſt falſum. Quòd autem cauſa in lucem medij relata non ſubſiſtat probo: quia detur oculus A, aſpiciens obiectum B, vicinum, & C, remotius cum pauca luce, puta ſummo mane. Præterèa detur idem oculus cum multa luce, puta in meridie, reſpiciens obiectum vicinum E, & remotiùs F, maior eſt lux inter A, & E, quam inter A, & C, ergò oculus A, meliùs videbit E, quàm C, quod experientia conuincit eſſe falſum, ergò ratio iſtius ſymptomatis non eſt referenda in impreſſionem à luce medij factam: ſed neq; referri poteſt in obiectum, vt nunc probaui, ergò in conditionem ſpiritus viſiui modo explicato. Deindè cur [quod ſubdit ibidem Auerroes] ob has rationes, qui habet oculos profundos, remotiùs videt? nonnè id fit, vt docet Auctor ibidem, quia ſpiritus viſibilis in eis eſt magis aggregatus? ſi hoc eſt verum, ergò ratio viſionis in ſpiritum per Auerroem erit referenda? quomodo ergò negat in eodem loco hunc ſpiritum, ſine quo quæ in viſione cōtingunt explicare ipſe non poteſt? vel itaq; Auerroes ſibi contradicit, aut in Galeni, & Platonis opinionem, vel inuitus concedit, extramiſſione viſione fieri contendentium, quorum ſententiam ibidem refellit, ſed leuibus exorabulis, quæ nō eſt, quod hic refellam, cum facillimè ex dicendis ſolui poſſint. Sed pergo ad alia.

Auerroes oſtēditur ſibi parum conſtare.

Qui benè videt cur ſpecillis læduntur.

Cur qui optimè à natura vident, ſpecillis admotus læduntur? An quia eorū ſpiritus eſt lucidus, hic autem ſpecillis nimiùm tenuatur, ac diſgregatur? patet, quia in vſu ſpecilliorum læduntur, & vim ſibi inferunt, ſi illis vti velint.

Cur

Cur qui oculos habent prominentes hebetiùs vident, qui magis incauos, acutiùs? An quia ex illis spiritus dispersus magis profuit, ex his collectior, virtus enim vnita fortior?

Oculi prominẽter hebetius, profundi melius cur videant.

Cur quidam perfectè vident, & longissimè: alij exactè propè, sed non longè: alij longè, sed nõ exactè: alij deniq; nec exactè, nec longè? An quia primi spiritum habent visiuum purum, & multum? puritas enim spiritus exactam facit visionem vbilibet, multitudo verò sufficit ad hoc, vt multus aer, & mediũ superetur; quare longissimè vident, & exactè. An quia secundi spiritum habent paucum, licèt purum? quia enim paucus est spiritus longè ferri non potest quia purus efficit, vt exactè quę propinqua sunt videantur. An quia Tertij multum spiritum habent, sed paulò humidiorem? quia enim multus, ad distantia valdè se extendit, sed quia humidior visum obtundit, quare æthereus magis, ficciorq; reddendus. An quia postremi spiritum, & paucum, & humidum acceperunt? quia enim paucus est, longinqua non potest attingere; nec exactè, quia humidus. Consule Galenum multis locis præsertim capite secundo libri primi de symptomatum causis. His facilè erit cognoscere, qui fiat, quod hyena, noctua, felles die parum, vel nihil cernant, noctu optimè videant, quod idem ferè in leonibus est videre, qui sub solis splendore iter facere nequeunt. Eadem enim est cum causa Antinyctalopiæ.

Curquidam exactè, & longè videant. Alij exactè propè, sed non longè. Alij longè, sed non exactè. Alij nec exactè, nec lõgè.

Hyena cur parũ die noctu verò benè cernat.

Præterèa, quare volentes aliquid exactè intueri oculos ad omnes obiecti partes conuertimus? Respondet Toletus, & benè, quia perfecta appræhensio rei est per axem, ideò axem conuertimus in partes omnes obiecti, vt totum exactè videamus. Sed hic axis est nè species? si affirmas: cur axis speciei

Cur exactæ videre volentes oculos concertamus. Toletus iterum cum Platone consentit.

potentiùs agit? dices opinor, quia in illo plures radij specierum vniuntur, ergò vbi plures radij ibi perfectior visio, ergò Myopes obiecta maiora distantiora, quæ maiorem faciunt angulum, quàm exigua propiora, meliùs videbunt, quod esse falsum ex dictis patet. Nec potest hæc sequela negari, quia in axe maioris anguli plures specierum radij coeunt, quàm in axe minoris. Dicimus ergò hunc axem esse medium anguli, & plus posse ad exactam visionem, quàm alios radios, quia prodit ab humore chrystallino eidem perpēdicularis; humor enim chrystallinus figura est plana quà pupillam respicit, itaq; ab ipso vnus tantum radius perpendiculariter prodire potest. Lineis autem perpendicularibus intensiores edi ab agentibus actiones probant Philosophi, & æstiui solis ardoribus confirmatur, magis enim à nobis sol distat æstate, quàm hyeme, tamen quia perpendiculariter terram æstate ferit magis, quàm hyeme, ideò tunc maior calor. Itaq; aciem oculorum conuertimus, vt hoc perpendiculari radio, qui axis dicitur, obiectum lustrando, perfectè videamus. Maneat ergò visionem fieri per extramissionem spirituum, nec in ea quid ab extrinseco recipi in oculum.

Solutio propositæ difficultatis.

Lineis perpēdicularib⁹ fit actio intēsior.

Sed hic quæret aliquis, vnde nam prodit hic spiritus visiuus? Respondeo spiritum hunc esse animalem, & in cerebro generari, per patens verò nerui optici foramen ferri in oculum in illud cauū, quod ab Arachnoide tunica ex optico neruo tenuiter dilatato compacta, efficitur, quo in cauo vitreus humor continetur, in cuius ferè medio chrystallinus humor primum sentiendi instrumentum innatat. Ergò affusus chrystallinus humor hoc spiritu, eodē vtitur eiaculando extra ad visionem. Nam spiri-

Spiritus visiuus vnde prodeat, per quos meatus quò feratur.

tuum

tuum omnium tenuissimus est animalis, vt proptereà reliquas tunicas Rhagoidem, Corneam, & Adnatam cum humore aqueo facilè possit penetrare, & ad aliquam distantiam peruenire.

Porrò non sequitur ex hac emissione huius spiritus futurum, vt tota oculi substantia imminuatur, vel consumatur, omninò, nam primò quidem oculus constat tunicis, & humoribus; aqueo, vitreo, chrystallino, sed horum nihil extra funditur ad visionem, quare oculi nihil cum insumatur non est necesse, vt minuatur, nedum consumatur. Secundò quia licèt emissio spiritus sit continua, perennis tamen est etiam illius generatio. Nam vt alibi explicauimus, animalis spiritus fit ex vitali, vitalis ex naturali, naturalis indesinenter in hepate generatur aliorum futurus materia, quorum & generatio perennis sit necesse est, cum sit semper causa efficiens materialis, & finalis illorum, itaq; si ferè semper extra oculos mittitur spiritus animalis, semper absolutè illius substantia generatur, vt nullum incommodum sequi possit.

Substantia oculi ob spiritũ extramissum non minuitur.

Ratio prima.

Obijciunt contrariæ sententiæ defensores, cum Alexandro hoc validissimum argumẽtum, vt Laurentius quæstione 16. libri 4. operum anatomicorum, vbi ita inquit: quod ab oculis exit, aut corporeum est, aut incorporeum; non incorporeum, quia nec exire, nec locum mutare, nec in oculo esse, vt in loco possunt incorporea: non corporeum, quia vnico die destrueretur oculus, nec momento ad æthera vsq; ferreretur, cum nullũ corpus in instanti moueatur. Adde, quòd spirantibus ventis dissiparetur: quod daretur corporũ penetratio: quod si aerem huic corpusculo exeunti cedere velis, numquam fiet visio, quia non fiet radij illius continua-

Ratio secunda.

Argumẽtũ aduersariorum validissimum cõtra spiritum visiuum.

tio

tio cum oculo, sed inter radium, & oculos se se interponet corpus. Hic vnicus est aduersariorum Achilles, hic expugnandus, vt veritatis splendor elucescat. Ad illius itaq; solutionem dico id, quod ab oculo profunditur, esse incorporeum, nimirum substantiam aeream, tenuissimam, & æthereã, quæ potest ad aliquam distantiam peruenire maiorem, vel minorem, prout multa est, vel pauca, & vel à valida, vel imbecilla virtute propellitur, vel emittitur. Cum hac fit visio exacta, minùs exacta, exactior, & exactissima, prout est, vel lucida, vel opaca, vel tenuis, aut crassior modo superiùs explicato. Præterea procedit ab oculo vis visiua, quæ nihil aliud est, quàm materialis quædam qualitas, quæ dicitur spiritalis à Galeno, ignis verò à Platone nuncupatur in Thimæo, quod proximè accedat ad eas qualitates, quæ penitus immateriales sunt. Hæc qualitas educitur virtute visiuę facultatis de potentia medij cuiuslibet diaphani, & dicitur ab oculo procedere, quod accipiendum est ea ratione, qua splendor à Sole procedit, & è potentia medij diaphani cœlorum, ignis, aeris, & aquæ educitur. Hac vi absolute oculus videt, & aliquo modo exactè videt etiam distantissima, ad quæ spiritus visiuus ferri non potest, si valida sit. Verùm exactiùs videntur ea, ad quæ vis peruenit simul cum spiritu, vt ea absolutè non videntur, ad quæ neutrum horum potest peruenire, vt fusiùs infrà explicabitur. Hęc vis, vt dixi, est materialis, non tamen corporea, sed in corporibus è materia educta, ac penè spiritalis, & incorporea modo explicato, nec sequitur, quod exire, idest procedere non possit ab oculo. Præterea locum non mutat, cum non migret de subiecto in subiectum; nec est in oculo tanquã in loco, sed in

Solutio illius.

Spiritus ab oculo prodiẽs est corporeus.

Vis visiua est qualitas materialis.

Vis visiua quã vi sionẽ faciat.

Vis visiua quomodo nõ mutet locũ, & vbi nã ea sit.

ali-

aliquibus partibus oculi, vt puta in humore vitreo & aqueo tanquàm in subiecto, in cornea tunica, & adnata, vt & in medijs alijs externis diaphanis eodem pacto, est tamen in humore chrystallino tanquàm in causa efficiente, à qua procedit, cuiusque facultatis vi de potentia mediorum horum educitur. Quanquàm in argumento non benè infertur, locum mutare non posse, si quod prodit incorporeum esset, nam substantię spirituales locum, in quo definitiuè sunt, mutare possunt, vt de facto mutant quod apertè conuincunt sensibiles philosophorum, ac Theologorum demonstrationes contra Aristotelem exorabulis leuioribus id tentantem probare. Sed huius rei non est hic locus, nec huiusmodi quæstiones præsens disputatio requirit. Ergò quod propriè procedit ab oculo corporeum est, nego tamen inde futurum, vt vnico die oculus destruatur, quia, vt dictum iam est, nihil profunditur ex substantijs, quæ propriè oculi corpus constituunt, sed spiritus tantùm, quamquàm non continuè, mittitur, qui tamen indesinenter in cerebro generatur. Denique, nonnè ipsi fatentur ex oculis, naribus, atque vniuerso corpore basilisci, & menstruatæ mulieris vaporem tetrum, ac venenatum continuè expirare, vt idem Laurentius ad tertium, nec tamen vnico die isthæc corpora destruuntur; cur ergò oculus destruatur? Nec dicimus momento hunc spiritum ad æthera ferri, quia cousq; non fertur, licèt eò virtus visiua perueniat. Porrò in instanti apertis oculis fit visio corporum distantissimorum, vt stellarum fixarum, quia sicuti sol in instanti de potentia medij distantissimi lucem educit, quòd nihil resistat, & hanc actionem, illiusq; effectus productionē impediat, ita humor chrystal-

Substantiæ spirituales locum possunt mutare.

Spiritus emissione oculus nō destruitur.

Ratio ad hominē à pari concesso.

In instantis fit visio, licèt spirit⁹ visiuus in instāti loco moueri nō possit.

linus ſemoto impedimento palpebrarum vim hāc viſiuam producit in medijs obiectis diſpoſitis, cuius ope viſionem elicit corporum obiectorum: Spiritus verò in tēpore, licèt admodùm breui, ad obiecta peruenit, quod ex eo patet, quia apertis oculis obiecta non admodùm diſtantia videmus quidem non tamen exactiſſimè, quæ ſi perfectè videre volumus, obtutum in illa intendimus, quò collectis viribus potentia plus ſpiritus, & cum maiore vi ad obiectum impellat, quo acutiùs, & meliùs videatur. Infert propoſitum argumentum futurum, vt ſpirantibus ventis hic ſpiritus corporeus diſſipetur. Hoc nos vltrò concedimus, quare validioribus ventis perflantibus non ita exactè obiecta percipiuntur, cum ſpiritus diſſipetur, fit tamen viſio, quia vis viſiua defectum hunc ſuplet quo poteſt modo. Daretur, addit, corporum penetratio: ſed hoc nos negamus, quia vbi eſt hic ſpiritus, ibi non eſt aer, ſpiritus autem aereæ ſubſtantiæ, eſt, vt proptereà recipiat quidquid aer recipit, quare malè illatum eſt in fine argumenti, fieri non poſſe viſionem, poſito quod exeunti ſpiritui cedat aer, quia cum radius cum oculo continuetur, nec inter radium, & oculum extraneum ſe ſe corpus interponat, quod tamen forè contendunt aduerſarij, quid eſt, quod viſio non fiat? radius autem, de quo hic loquimur, tàm de virtute viſiua, quàm de ſpiritu intelligendus eſt.

Spiritū breuiſſimo tempore peruenire ad obiectū quid ſuadeat.

Vētis ſtā[n]tibus ſpiritus viſiuus diſſipatur, & viſio læditur.

Non datur corporum penetratio poſito ſpiritu viſiuo.

Obijcies ſecundo potentia viſiua agit immanenter, ergò nihil efficit in obiecto. Reſpondeo in potentia viſiua poſſe conſiderari primo actum ipſum viſionis. Secundò alia, quæ fiunt ab oculo, vt poſſit obiecta videre, & actum proprium elicere, qualis eſt emiſſio ſpiritus ad viſionis actum producen-

Viſiua potentia quomodo agat immanēter, & quomodo tranſeunter.

dum. Si consideremus primum, potentia visiua agit immanenter, quia ille actus recipitur in potentia, à qua elicitur: si verò secundum agit transeunter, cum mittat spiritus per medium versus obiectum, vimq; suam diffundat in remotissima spacia, quod inuoluit relationem agentis ad passum.

Tertia conclusio. Vis visiua, qualem supra explicauimus admittenda est, qua visio fiat. Probatur primo auctoritate Galeni, qui 7. de Hipp. & Platonis decretis cap. 5. hanc apertè supponit, & Platonis, qui illā etiam inuexit in Thimęo, vbi ignem illam nuncupauit, vt supra. Secundò probatur ratione, quia spiritus visiuus non peruenit vsque ad astra, nec eo peruenire potest, cum cœlorum corpora solidissima, & quasi ære fusa, vt Iob loquitur, existant, non possent à spiritu corporeo, licèt aereo, & tenuissimo penetrari, sed ipsa astra videntur, ergò per aliud aliud, quàm per spiritum, ergò per vim visiuam pyramidali forma procedentem ab oculo, alioqui fieret actio in distans, quod vniuersæ philosophiæ repugnat. Tertiò probatur argumento Gal. cap. 5. cit. vbi sic philosophatur: per foramen pupillæ inspicimus, si autē in visione oculus acciperet ab extrinsecis aliquod simulacrum, rerum magnitudinem nō perciperemus, nam oculus spectrum recipere non potest tam vastum quanta sunt obiectorum multa, quę videntur, vt supra diximus: nec è contra per solum spiritum intuitiuum visio fieri potest, quia nequit spiritus tanta diffusione dilatari, vt omnes visui expositas res circumfusus complectatur: esset enim commentitia illa Stoicorū gutta, quę cum toto mari commiscetur. Itaq; infert futurū, vt aer circumfusus tale nobis sit instrumentum ad visum, qualis est neruus respectu cerebri, & aer ipse respectu solis: sicut itaq; sol diffundit splen-

Vis visiua probatur. Auctoritate.

Ratione.

Ratio alia Galeni.

dorem per aera, ita virtutem visiuam oculus: hoc tantùm differunt quòd à sole nulla substantia mittitur, ab oculo intuitiuus spiritus ad aliquam distantiam modo explicato ex Galeno etiam diffunditur; Hæc est ratio philosophandi Galeni, ex quo vide, num inferri possit ex eius mente visionem fieri partim extramissione, partim extrinsecus aduenientis simulacri susceptione, vt malè quidã inferunt. Quartò probatur, quia potẽtia pellens spiritus extra oculum est expellens naturalis; quod impellitur est spiritus leuissimus; mediũ per quod impellitur est aer, vel aqua, quę aliquo modo resistũt, pręsertim aqua, sed non videtur probabile, potentiam naturalẽ rem leuem per medium resistens posse propellere ad tantam distantiam, ad quantam peruenit oculus, ergò alio auxilio, quàm spiritu hòc visio fiet, hoc autẽ est vis visiua; Quintò probatur, quia in Myopia morbo, de quo suprà egimus, exigua, quæ propè sunt videmus, sed maiora distantia videre non possumus - sed tamen stellas, & lunam obscuratam, quæ distantissima sunt, intuemur: Quæ rei causa? propinqua videmus spiritu tenui licèt ad illa peruenietẽ: distantiora non videmus, spiritus priùs obtenuitatem dissipato; distantissima vt stellas conspicimus, virtute visiua eò vsq; delata. Sed cur minùs propinqua non videmus? si enim ad distantissima vsq; fertur virtus, cur non ad magis propinqua? Respondeo minùs distans etiam visum, iri si æque lucidum esset, ac distantius, in luna tenebrosa, aliqua etiã lux reperitur: Vis enim visiua, vt suprà dictum est, proportione solis splendori respondet, sed sine alia luce nõ semper, imò nũquam visionem faceret spiritu intuitiuo destituta. Sed contrà hanc conclusionem.

Ratio quarta.

Ratio quinta. Problematis nõ dum discussi circa visionem explicatio.

Instãtia. Responsio.

Obijcies si datur hæc vis visiua, cur quidam stellas nocta videre non possunt? refert Alexander Vero-

roriensis lib. 3. cap. 33. vbi de Nyctalope pertractat, se huiusmodi quædam cognouisse, quem, &c. a tam insolito morbo liberauit. Respondeo id prouenire ex vi maximè imbecilla oculorum: vt propterea vis visiua, ne dum spiritus, nequeat ad tam distãtia corpora peruenire. Ita etiam vides corpora luminosa, quorum quædam in maiorem, aliam in minorē distantiam splendorē suum diffundunt. Sic Alexander egrum allatum curauit iniectione spodij violaceo mixti in nares, id enim vt, & pompholyx, quam tutiam appellant vim habet specificam oculos roborante, vt non abs re sit, ea collyrijs ferè omnibus immiscere, præterquam vbi morbus à nimia siccitate tunicarum sit contractus.

Ratio cur aliqui noctu stellas videre nō possint.

Ratio medendi talem affectum.

Obijcies secūdò ij, quibus humiditate multa scatent oculi videre sibi videtur omnia maiora, quàm in se verè sint, sed hoc non contingeret, nisi per species fieret visio, ergò species non sunt negandæ. Minor probatur, quia humiditas illa aliquo pacto dilatat species, res autem talis videtur, qualis per species repræsentatur, itaq; latior, maiorq; secundum apparentes dimensiones iudicabitur. Respondeo maiorem esse veram, falsam minorem ad illius probationem dico, causam huius symptomatis referendam esse, non in species, sed in ipsam humiditatem oculi, qua dissoluuntur, & quodammodò tāquàm ab externa copiosiore luce disgregatur vis visiua cum spiritibus, qui propterea non ita vniti feruntur in obiectum: hinc obiectum aliter, quàm in se sit apparet. Cognoscentibus diuersam radiorum refractionem in mediorum diuersitate, hoc difficilè non videbitur.

Oculos habentibus humidos obiecta videntur maiora quam verè sint.

Ratio prædicti affectus.

Quarta conclusio. Lumen, quod ab oculis ipsis procedit, aliquando potest sufficere ad visionem absq; auxilio luminis externi. Lumen necessarium

tant,& in fellibus, leonibus, alijsq; compluribus experientia ipsa confirmat. His ità explicatis probatur primò conclusio: nam lumē ex philosophis omnibus ad visionem est necessariū; sed ab oculo prodire potest lumen, ergò solo lumine ab oculis prodeunte visio fieri potest. Maior est philosophorum omnium; Minor patet ex conclusionis explicatione, & suprà dictis. Secundò probatur, quia qui suprà genas validè ceduntur, etiam in tenebris lumen vident ante oculos, ergò tunc ab oculis prodit hoc lumen, sed hoc sufficit ad visionem, ergò lumen prodiens ab oculo sine auxilio externi splendoris ad visionem satis est absolutè. Spiritus intuitiuus est lucidus, aereus, tenuis, ictu magis, ac magis attenuatur, mouetur, ignemq; concipit; vt qui lucidus tantùm erat, & instrumentum ad alia vidēda, iam ignis fiat, & alio spiritu adminiculante, qui semper emittitur ab oculis, videatur. Idem fit in ijs, qui dormiunt in tenebris, moxq; apertis oculis intuētur lucem. Vbi enim plurimus est spiritus in cerebro, apertis oculis prodit affatim, quare plurimi spiritus exeuntes simul atteruntur, eorumq; aliqui ignem concipiunt, & videntur.

Ratio prima.

Ratio secunda.

Quomodo cæsi supra genas in tenebris lumen videant.

Obijcies primò, quia si quæ dicta sunt hac conclusione vera essent, nimirum si viderentur, eaq; in ipsissimo sunt oculo, sequeretur quod sensibile suprà sensum positum faceret sensationem, sed hoc est contrà vniuersale Philosophorum axioma, ergò non est admittendum. Sequela maioris probatur, quia non videtur per medium, potentiæ namq; visiuæ medium est aer, vel aqua, ergò immediatè suprà potentiam posita cernuntur, ergò sensibile suprà sensum facit sensationem. Secundò si hæc vera sunt cur non videtur vuea, quæ varijs est infecta coloribus? Tertiò cur palpebræ clausæ non cernuntur?

Obiectio prima.

Secunda

Tertia.

Responsio ad primam. Explicatio axiomatis: sẽsibile supra sensum non facit sensationem

tum. Respondeo explicando axioma, vt ex omninò accipiendum, & dico in præsenti tractatione, quæ naturam visionis inquirit, visionem vt fiat indigere lumine, siue hoc ab internis oculi partibus prodeat, siue ab externis accedat, ita vt sine lumine, nulla sit futura visio, ergò illud sensibile, quod suprà oculũ positum impedit oculi splendorem, illumq; facit tenebrosum, non potest sentiri, & videri, quia fieret visio sine lumine; si autem hoc sensibile non impediat splendorem, & illustrationem oculi, nihil impẽdiet quominus videatur. Hoc accidit in difficultate proposita; nam videntur illi colores in oculi corpore, quia opacum oculũ non faciunt, illiusq; splendorem non tollunt. Si manum oculo superponas, profectò non videbitur, cum lumen tollatur, quod ad visionem requiritur necessariò ex Philosophorum omnium consensu. Per hæc soluitur primum argumentum, quod sola explicatione rei ipsius indigebat. Nonne color oculi icterici ab eodem icterico videtur? hoc profectò negari non potest, cum constet infinitis quotidianis experimẽtis luce meridiana clarioribus, certissimis, ac irrefragabilibus, qui videtur, quia oculi lumen non impedit. Colorata corpora splendorem illũ obtenebrantia videri non queunt. Ad secundam difficultatem peto ab aduersarijs, cur species intentionales non videãtur? cur enim non possit species conspici, quæ in causa est, cur alia omnia videantur? Respondebunt speciem esse imaginem qua, non quam, quà mediante potentia in actu completo videndo cõstituitur. Bene est: ita dico vueam, corneamq; esse coloratas, & sub obiecto adæquato potentiæ visiuæ cõtineri; nego tamen debere videri ab oculo, cuius sunt partes, nam talis oculi potẽtia multa habet à natura instrumenta, sine quibus operari non potest, nec visionis

Ictericus videt colorem sui ipsius oculi.

Solutio secundæ rationis. Cur oculus non videat vueam.

actum

actum eliceret. Quoddam dicitur instrumentū principale, vt humor chrystallinus; alia dicuntur minus principalia, vt sunt alij humores, cum tunicis, quæ media sunt, quibus ab oculo videntur obiecta, idest ea omnia, quæ num sunt pars oculi, siue sint in oculo, siue extra. Non ergò debuit oculus videre vueā, quia omnia iudicaret esse coloris illius; tum quia vuea, & aliæ tunicæ sunt instrumenta, quibus potentia constituitur in actu cōpleto videndi. Ad tertiam patet solutio, exprimi explicatione; non enim possunt palpebrę videri, cum eæ clausæ lumen oculi tollant, sine quo visio fieri non potest; id si non esset, videri possent.

Instrumentum principale visionis.

Solutio tertiæ.

Dices cur lumen ipsius oculi proprium nō potest officiū externi splendoris supplere, vt ab ijs, qui multum igneos, & plenos lucidò spiritu habent oculos; propriè palpebrę clausę videantur? Respōdeo splendorem hunc esse igneum, idemq; in eo accidere, ac inflāma, quę quocumq; aditu clauso suffocatur, nec lucere, nec perdurare potest, sed emoritur, idē fit in interno splēdore, oculi palpebris obseratis. Quę hactenus dicta sunt vera esse patet ex eo, quod Aristot. modò concedit aliquid, quod sit in oculo, videri, vt cap. 2. de sensu, & sensili ipsò initio; modò secūdo de anima tex. 75. ait sensibile suprà sensum positum nō facere sensationem, & ibidem à tex. 128. numerum sensuum à numero mediorum venatur, supponens manifestè nihil sentiri posse absq; medio. Præterea arguens cōtra Platonem nihil vult ab oculo emitti, quo fiat visio; deniq; in problematis, vt suprà vidimus, concedit spiritus ab oculis exeuntes, quæ omnia nescio quomodo possint cohęrere, & summam inconstantiam non arguant, à qua vel ipsi, qui mordicus hac in re contrà Platonem species intentionales defendunt Aristotelem sequuti, eundem vindica-

Dubitatio notāda, eiusq; solutio.

Aristotelis inconstantia in hac materia.

dicari non posse putant, & inconstanter fuisse loquutum non possunt non concedere.

Ligna putrida nocte lucēt. Obijcies secundò noctu putrida ligna, ad quæ lumen ipsius oculi non pertingit, videtur ergò lumen ipsius oculi non pertingit, videntur ergò lumen nō requiritur ad visionem. Hoc etiam obiter est soluendum. Dico ligna non lucere, vt & pisces antequam putrere incipiant. Cum putrēt humidū separatur à sicco, & sensim euanescit, siccumq; fit corpus. Hic calor (qui nisi multus sit, lux non producitur) tenuatam materiam corripit, & licèt inflammare non possit, illustrat tamen, sed luce tenuissima, quæ diu luce maiore solis deuicta non apparet, noctu (quod contingere etiam diximus in spiritu visiuo eorum, qui acie vespertina laborant) cogitur, & propè contrarium, nempè tenebras constituta, apparet. Sic & cicindelæ noctu nitent, licèt die nitorem suum patefacere non possit ob eandem causam.

Causa physica redditur huius phœnomeni.

Epilogus. Cum satis abundè ex dictis cōstare putemus species intentionales nihil aliud esse, quàm merum Aristotelis somnium; demonstrauerimus etiam certissimis rationibus omnem coniecturalem probabilitatem superantibus, & ad necessarias argumētationes sensibiles Mathematicorum propijssimè accedētibus visiuum spiritum ab oculis extramissum ad visionem efficiēdam; vim visiuam modo suprà explicato auctoritate, & ratione palàm omnibus fecerimus; lumen deniq; internum oculorum apertissimè conuincentes descripserimus; proposito argumento nos fecisse satis arbitramur, & cum Platone visionem extramissionem fieri ostendisse.

Itaq; finem disputationi facimus, studiosos rogantes contrà summum Philosophum, quem alioqui summè veneramur, in re necessaria scripta equi boniq; vt consulant.

Laus Deo, B. Q. V. M.

Errata, quæ inter excudendum exciderunt, beneuolus Lector sic corrigat.

Pag. 3. lib. 34. cata logus adde texendus. p. 12. l. 21. an l. ac p. 17. l. 23. auro l. verò. p. 24. l. 24. conuertitur l. conuestitur. l. 32 daphum l. duplum. l. 33. vifiua l. vi visiua p. 28 l. 19. vespes l. vespæ. l. 29. præsentem. adde decem. p. 33 l. 26. non l. num. l. 28. impotentia l. impotentia. p. 43. l. 17. hac l. lac. p. 53. l. 19. multis l. mutis. p. 55. l. 24. exigit l. exibit. l. 24. argentis l. argentum l. 31. vocāt l. vorant. l. 30. in l. ui. p. 64. l. 13. seminaria l. seminā. p. 67. l. 2. ligna l. lignea. p. 68. l. 24. pastitionis l. partitionis. l. 15. tum l. tam. p. 72. l. 5. hic l. huc. p. 95. l. 2. sæpe adde pro. p. 99. l. 15. fundendum l. infundendum. p. 100. l. 34. quo l. quos. p. 172. l. 32. cap. 4. l. 46. l. 12. lib. 7. cap. 33. l. lib. 3. cap. 14. p. 130. l. 30. auertantis l. santis. p. 133. l. 5. fiet l. fiat. l. 30. persistit l. perstitit. p. 137. l. 6. multi adde cum. l. 17. afficiaretur l. afficiantur. p. 145. l. 3. agrila l. agricola. p. 148. l. 21. quæ l. suç. p. 150. l. 26. videantur l. videant. l. 32. medulla l. la. p. 165. l. 19. sic l. si. p. 168. l. 27. etiam l. esse. l. 15. sanguinæ l neæ. p. 179. l. 27. nisi l. ne si. p. 184. l. 18. omnia l. ni. p. 185. l. 22. lurta l. lyssa. p. 188. l. 26. acris l. æris. p. 200. l. 15. sibi l. ibi. p. 208. l. 2. pos. l. possit hinc. l. 4. dele sit hinc. p. 209. l. 7. dele quia. p. 222. l. 33. modo l. morbo. p. 222. l. 5. doctissimorum l. mum. p. 244. l. 27. se l. te. p. 248. l. 17. argumento l. tor. l. 21. apposito l oppos. p. 265. l. 20. aptas l. optas. p. 270. l. 10. magis l. maius. p. 273. l. 3. lucius l. luscius. p. 279. l. 26. visione l. nem. l. 31. admotus l. tis. p. 287. l. 5. num l. non. ibid. l. 10. exprimi l. ex primi.

Quæcunq; his in libris dixi, ea S. Romanæ Ecclesiæ iudicio, & sensui penitus subijcio, à qua si quid vel minimum dissideat, omninò dictum nolo.


Iacobus Caranta Doctor Philosophus, & Medicus.



Opus hoc Domini Iacobi Carantę, nihil habet à fide, & Chriſtianis auribus alienum ſed multa vtilia impreſſione digna.

F. Vmbertus Tapparellus Ordinis Prædicatorum Lector, & Prior S. Dominici de Sauiliano.




BIBLIOTECA